





1 6 81















MVTII SFORTIÆ TYBERIS. VEL PII V. PONTIFICIS MAX. LAVDES.

Psalterij Dauidici Laudes.

CARMINVM SACRORVM LIBRI. II.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. MICHAELEM BONELLVM. S. R. E. Cardinalem Amplissimum.





VENETIIS,
Apud Nicolaum Morettum. M D LXXXVI.

ILLVSTRISSIMO,

ET REVERENDISS.MO

F. MICHAELI BONELLO Alexandrino. S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO.

MVTIVS SFORTIA. S. P. D.



VM clarissima, & omnium vna voce anteà PII V. tui auunculi præclaras virtutes, integerrimam vitam, innocentissimos mores, christianam pietatem, incredibilemq; in Repu. gerenda diligentiam, vigilantiamq; celebrari, & magna cum admiratione prædicari audirem; gestiebat animus aliquid illo dignum canere. Sed hærebat, & tandem alijs à curis impeditus, ab hac cogitatione destitit. Verùm vbi rumor increbuit, àc certa pertulit fama, nostros ad Naupactum ductores Turcarum classes iandudum victrices feliciter profligasse, àc omnes ferè cepisse; Deus immortalis, quantus fuit in omniũ ore PIVS?

quibus laudibus illum efferebant? Hinc illum Sanctiſ-
ſimis Pontificibus, priſcis Gregorijs, Leonibusq; om-
nes conferre: hinc illum poetas certatim canere: hinc
omnium iudicia magis precibus, lachrymisq; Pientiſ-
ſimi PII. quàm noſtrorum Imperatorum induſtriæ,
vel armis illam feliciſſimam Victoriam partam aſſerere.
Et meritò. Etenim noueramus anteà, quod omnia ſua
ſtudia, omnemq; operam, curam, induſtriam, cogita-
tionem, mentem denique omnem in hoc ſacro bello
contra Turcas ineundo ille fixerat, aq; locauerat. Quan
to enim ſudore, diligentiaq; ille enixus eſt, vt noſtri Re
ges cõtrà illos immanes & efferatos barbaros in fędus
coirent? quibus precibus Deum, Diuosq; fatigauit,
publicis ſupplicijs per omnes Chriſtianas vrbes indi-
ctis, poſtquàm noſtras claſſes deniq; coniunctas in in-
fideles hoſtes lætiſſimus emiſit? Quid plura? liceat
mihi omnium pace dicere, & antè, & poſt Victoriam,
Omnia PIVS erat. Ea fuit optimi Pontificis alacri-
tas, & cura in hoc Sanctiſſimo bello. Quis igitur quã-
uis maximus Poeta illum ſuis excelſis carminibus ma-
teriam æquam non duceret? Ecquis vnquam vir laude
dignior? Ergo tàm pulchris factis, tantiq; viri virtuti-
bus incenſus, vt illum & ego canerem denique addu-
ctus ſum. Itaque vix menſis tranſierat poſt partam Vi-
ctoriam, cum ego hoc illi poëma intra bimeſtre ſpatiũ
abſolui. Sed dum per quem illud emitterem, cogita-
rem; vt in decantati Pontificis deſideratas manus tu-
tum perueniret; En ſubitò affertur nuntius horribilis:

PIVM

PIVM ſcilicet noſtrum ex eo bellorum tumultu inter tàm claros triumphos, victoriasq; ad Diuorum cætum, æternamq; quietem beatum tranſmigraſſe: ſed quanto Europæ cum dolore certè non ſatis explicari poteſt. Sperabamus enim tot captiuos Chriſtianos ipſum redempturum: totq; noſtra regna ab hoſte occupata, de Turcarum manibus erepturum. Multis ille quidem flebilis occidit: Sed, tua venia dixerim, Nulli flebilior quàm mihi. Animo quippè voluebam, illum hoſce labores in manibus accepturum: ſuaſq; laudes in meis carminibus perlecturum: ſeq; inter tot Sanctorum Pontificum ſeriem meritò locatum, viſurum: nosq; noſtri quidem ſudoris, imò vt verius dicam, amoris æqua mercede remuneraturum. Cuius animi benignitatem, gratitudinemq; ſi in me ipſe expertus fuiſſem, Vos mihi Muſæ teſtes, quanta de illo canere parabam. Vt Mæonios fontes recludere meditabar: illius memoranda facta ab eius aurei principatus initio exorſus; decantaturus etiam quæ feliciſſimè geſturum ipſum concipiebamus in his ſequentibus bellis, ni tantum virum nobis vis Fati inuidiſſet. Sed te cadente, ò PIE, noſtra ſpes omnis cecidit: Omnia tecum vnà perierunt gaudia noſtra. Vnum in tanto mœrore tu mihi ſolatium, ampliſſime ALEXANDRINE, occurris. Qui & ſi non auunculi principatus, attamen virtutum digniſſimus hæres ſuperfuiſti. Tibi modò noſtrum Tyberim tui auunculi illuſtria facta canentem, vt noſtram in illum beneuolentiam per teſtem adeò luculentum


agno-

agnoſcas, animo adhuc ægri en mittimus. Quo reliquis cũ meis opuſculis in arca puluere obſito, ægroq; & Domini ſimillimo iacente, expectanteq; vt cum cæteris mei ingenij monumentis in lucem aliquando prodiret: perſuaſus quorundam conſilio, qui te alterum Mecœnatem, magnum literarum fautorem, eximium virtutum amatorem, remuneratoremq;, mihi oculati teſtes prædicarunt, illum cornua puluerulentum, ſituq; obductum excuſſi, abſterſiq;. tum denique primùm renidentem, àc reſpirantem, vt ad te lætior perueniret, non nihil expoliui. En exultans meis è manibus euolauit: en ad te venit. obuijs vlnis, hilariq; fronte tu, Pater amantiſſime, illum ſuſcipe. & Michaelis auunculi laudes cantantem tu MICHAEL haud degener nepos amplectere, atque tuo dignare ſinu. ne ille ex tanta ſpe de te concepta, repentè miſerrimus excidat. Atque vt liber in iuſtum volumen excreſceret, Pſalterij Dauidici laudes, nonnullaq; ſacra carmina quæ fermè pueri luſimus, addere placuit; atq; ad te virum ſacrum mittere, cum ſacros ſacra deceant. Bene Vale, & me tui auunculi, tuiq; obſeruantiſſimum, amantiſſimumq;, vt amplectaris, foueas, àc tuteris, te etiam, atq; etiam rogo. Venetijs. Calendis Maijs. Anno a Virginis Partu. 1586.

IV

AD MICHAELEM BONELLVM ALEXANDRINVM. S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM.

ODE MONCOLOS.


RAECINCTVS viridi tempora Laurea,
Palmaq; implicitus cornua, sordibus
Squalloris positis, pulcher vt anteà,
Ethrusco minimè surgit ab alueo,
Nostræ sed potius prodit ab angulo
Arcæ, quam lacrymis antè repleuerat
Chari ob Pontificis funera Maximi,
Rex iste Hesperiùm corniger amnium.
Et cursu rapido per tot itinera
Romana adcelerat mœnia tangere.
Præsertimq; tuas dulcibus osculis
Plantas, atque manus lambere gestiens.
Hunc, heros MICHAEL, obuius excipe,
Ornatus Tyrio tempora murice.
Cunctas propter & hunc mitte molestias.
Huicq; aures vacuas porrige numini,
Donec grandisono carmine concinet
Laudes egregias, claraq; auunculi
Magni facta tui, maxima qui pius
Europæ miseræ regnaq; , & oppida
Impleuit meritis: qui modò lucida
Inter Cœlicolas sydera possidet.
Si nostrum Tyberim tu, Pater optime,
Vt fas, accipies, fronteq; libera
Inter tot fluuios ardua carmina
Cantantem audieris: tendere Barbiton
Lesboum est animus; àc fide personans
Aurata, eximias dicere mox tuas
Laudes aggrediar, factaq; fortia.


PIVS . V. P.
ALEXANDRI
NVS



MVTII SFORTIÆ TYBERIS.

AD PIVM V. PONT. MAX.



E, PIE MAGNE, Cano, clari dum rector Olympi
Fortibus aspirans ausis, tua cœpta secundat.
Ne modò formidet tantos excurrere campos,
Docta per exiguos Parnassi incedere lucos
Nostra hæc Musa, tuis factis ingentibus impar.
Carmine nec tenui magnos audacter honores
Detriuisse tuos, ventura redarguat ætas.
Pangere nam tales & Smyrna, & Mantua laudes
Debuerant, altùmque illas æquare canendo.
VT nouus Antistes, nutu qui temperet orbem,
Lectus ab insigni est procerum, sanctoque Senatu:
Lætitia exultans merita, neque gaudia cælans
Ingeminat plausum, vocesque ad sydera tollit
Roma, crepantque atro succensæ in sulfure flammæ;
Consonat vrbs, ripæque amnis clamore resultant,
Et septem geminis responsat collibus Echo.

Obstupuit sonitum pater hunc Tyberinus ab antro
Inscius accipiens, cursumque repressit aquarum.
Dumque cupit tanti plausus agnoscere causam,
Aduolat en trepidans, & anhelo pectore Nais,
Electumque refert, solij fastigia sacri
Conscendisse virum, Romæ qui præsit, & orbi,
Huncq; PIVM dici, mutato nomine, QVINTVM
Fortè Deus musco viridanti, & murice picta
Spelunca in magna recubans, sub fornice conchis
Distincto roseis, & versans largius vrnam
Riuis iura dabat. tenues cui maxima telas
Ilia texebat, percurrens pectine coniux,
Atq; venenabat conchyli sedula fuco.
Quam circum, patri longam, ingentemq; parabant
Cæruleam trabeam, Serum quam vellere rubro
Indoque ex auro variantes Palladis arte
Prælia pingebant, Romanorumque triumphos,
Auro deuinctæ flauentia tempora, & auro
Suras inclusæ niueas, pictisque cothurnis,
Candidaque Arabio Bombyci corpora amictæ
Antri in vestibulo natæ. quibus Ostia forma
Eximia præstans, claros hinc patris honores,
Laudesque egregias, atque alta trophæa canebat,
Vocales celeri percurrens pollice chordas.
Hinc totidem numeris matrem tibi, magna Cybelle,
Connubio æquabat Diuùm, serieque nepotum
Astura. Sol gelidum cornu superabat aquosi
Aegocerotis, & hybernam glaciem, nubesque niuales

Soluerat, in medium curru prouectus Olympum
Ergo vbi certa parens, expectatique verendum
Præsidis accepit nomen, sua gaudia voluens
Quæ Proteus quondam prædixerat, illius antro
Succedens; tacitus, dudumq; immobilis hæsit.
Demulcensq; manu rorantem deniq; barbam
Ad sese acciri vicinos imperat amnes.
Postera luciferis Aurora inuecta quadrigis
Humentemq; vmbram cælo, stellasque fugarat,
Clarior & solito lumen detexerat orbi.
Cùm subito Hetruscis venit de fontibus Arnus,
Arnus, Cephiso minimè, aut Permessidos vndæ
Cedens: Sic ipsum celebrant, ita carmine mulcent,
Illius & vates Musæ super æthera tollunt.
Nec mora Nymphæum tenuit, rapidumq; Topinum.
Venit & Eugubios fæcundans Tinnia campos;
Atque Arretina Glanis deuexus ab arce.
Nec qui submersit, Diuumq; Numicius astris
Intulit Aeneam, raptu præclarus ab illo
Defuit. haud iuxtà currens nemora alta Vacunæ,
Atque lacus faciens nitidos, atque arua Sabina
Sulfureo Nar amne secans. Quos obuius omnes
Atque alios triginta, Anio tum sulfure viuo
Lustratus, Myrtoque comas deuinctus opaca
Excipit amplexu gelido, vultuque sereno
Ducit ad Ethrusci genitoris saxea tecta.
At postquam rupis subierunt limina prima
Olli, non celso vitro, nec arundine textis

Diſcubuère toris. Nam, dum pater aptat amictus
Inſignes humeris penetrali in ſede, verendus
Vt magis hoc habitu poſſit, maiorque videri;
Hique auidis oculis colluſtrant omnia: mira
Ad ſe ſe Pictura trahit, quæ plurima circum
Atria fulgebat, inſpectantesque iuuabat.
Quam non egreſſus flammanti Mulciber Aetna
Fecerat ignipotens; cœli ſed lapſus ab arce
Alatus iuuenis, ſtellata in veſte coruſcans.
Nam fama eſt, portas vt Iani clauſit ahenas
Auguſtus, placidumque dedit requieſcere mundum;
Dum Cancri Sol dorſa petit, terrasque, fretumque
Arduus exurit, rerum dum contrahit vmbras.
Dumque pater Tyberis ſylua ſpatiatur opaca.
Cælicolûm ex numero quendam, de vertice miſſum
Aethereo, gnarumque operum, gnarumque futuræ
Aetatis, propriis animaſſe coloribus, atque in
Marmore perpetuas has incidiſſe figuras.
Quas primo aſpectu cernens pater inſcius antè
Obſtupuit, longo ſed tempore, & ordine cunctas
Doctus ab euentu didicit, miranſque notauit.
Antè omnes ergo, quiſquis fuit ille Deorum,
Extuderat Petrum gemmis cui clarus, & auro
Tempora velabat triplex incana Tiaras.
Ipſe ſacro innixus ſolio, dextramque coruſcans
Clauibus auratis valuas pandebat Olympi.
At Linus Eumenidum facies, atque agmina Ditis
Terrebat procul increpitans, & Mortis hiatu
Abſorptos

Absorptos vasto, superas reuocabat ad auras.
Fecerat & Cletum nudantem fortiter ensi
Ceruicem, àc stellas superantem sanguine tinctum.
Fundentiq; preces Clementi candidus Agnus
Sole apparebat fulgentior, àc pede terram
Percutiens dextro, fontem educebat aquarum.
Inde videbatur contractis fluctibus, arca
Marmorea inclusus, deerat non anchora iuxtà.
Vestemq; indutus niueam, sacrisq; peractis
Innumeras turbas cælesti pane cibabat
Præcinctus Mitra castas Anacletus ad aras.
Suggestuque micans celso, septemque ministris
Vallatus stabat, populumq; Euaristus hiantem
Diuinas leges, cæliq; arcana docebat.
Indeq; Alexander pictis altaribus astans,
Auratumque tenens calicem, miscebat odoris
Astriferi guttis Acheloia pocula Bacchi;
Templaque lustrabat sacrati aspergine roris.
Nec procul hinc viridi, lætoque Telesphorus aruo
Floribus, & teneris quod ver distinxerat herbis,
Discumbens, holus, àc pisces, variumque legumen
Mandebat, macieque oris ieiunia fassus
Ouaque abhorrebat, carnesque, & cymbia lactis.
Atque Pium Regis Superum, Dominique cruorem
Vertice adorantem, addiderat, pœnasque minantem
Purpureas eius guttas si fortè Sacerdos
Siue super terras, seu supra funderet aram.
Inde Sacerdotes tonsos barbamque, comasque

Lau-

Laudabat ſolio gaudens Anicetus ab alto.
Poſt hunc & Sother cœnam præbebat opimam,
Quam niueas induta ſtolas, numeroſaq; circum
Turba recumbebat; conuiuas Agnus ab aſtris.
Lapſus, & in medio poſitus paſcebat abundè:
Ipſe Hymenæa pellebat veſte carentes.
At ſpecula ex alta diuiſos orbe Britannos
Quos circum Oceani ſpumabat cærulus humor,
Regemq; antè omnes poſito diademate ſacram
Procubuiſſe ſimul diuini ad gurgitis vndam
Lætus Eleutherius lachrymis ſpectabat obortis.
Hos gemini Heroes, quos ipſe emiſerat illùc,
Flumine tingentes, ſigno Crucis ora notabant.
Aethereq; igniuomis luſtrabat deſuper alis
In gyrum volitans, radijs accenſa columba.
Authoris rerum roſeum, ſanctumq; cruorem
Libabat patera, & vitro Zepherinus ad aras;
Turba Sacerdotum quem circùm plurima ſtabat.
Ingens, auguſtum, latum, longumq; ſepulcrum
Appia quà teritur celebris Regina viarum,
Condens ſpectabat Calliſtus, & illius antro
Inferri, aut Mitra, cinctos vel tempora Lauru,
Magnanimoſque viros, cęli iam lumine caſſos.
Vrbanus ſacro pronos in fonte lauabat
Romanos iuuenes, & te cum fratre, Tyburti.
Nec non & Petri, & Pauli Cornelius oſſa
Portabat, Diuisque illis duo templa dicabat;
Efflabatq; animam plumbatis cæſus iniquis.

Ad

Ad Stephani plantas ruerat Mauortis imago;
Cui, dum fortè sedens celebrat solennia, sæuus
Heu caput abscindit, spargitque cruore satelles.
Pinxerat & Xistum thesauros indice sacros
Prodentem tibi, Laurenti, pœnasque ferentem.
Teque in speluncæ latitantem, Caie, tenebris,
Dum fugis agnati crudelem Cæsaris iram.
Hinc Marcellinus non læta fronte prophanas
Aras horrebat Diuùm, lachrymasque ciebat:
In sese nimis iratum, contraque Tyrannum
Aspiceres illum, præbens qui colla securi
Purpureo nigram tergebat sanguine culpam.
Inde feras inter Marcellus pallidus ore
Tendebat duplices orans ad sydera palmas.
Nec procul egressum luco Soractis opaco
Syluestrum, insignem claro diademate, Cæsar
Tum Constantinus magno accipiebat honore;
Propter & hunc Diuis sacrabat maxima templa.
Inde is Nicæam, Bithynùm versus ad oras,
Arduus aspectat Tarpeiiè vertice saxi.
Namq; ibi tercentum Heroas longo ordine iunctos
Cernere erat, pallis niueos, fuluosq; Tiaris,
Impie, damnantes toruis te vultibus, Arri.
Nunc sacras ædes fundantem fecerat, & nunc
Scribentem Damasum, Byzanti & manibus altis
Mirantem centum, quinquagintaq; coactos
Insignes Patres, vittis, mitraque decoros:
Sub quibus Eunomius pauidus, fædusque iacebat:

Hunno-

Hunnorum at Regi toruo, cœlique flagello
Argento radians quà Mincius arua secabat,
Occurrens Leo, mulcebat: cui vertice summo
Fulmineum vibrans ensem, vultuque minaci
Aethere vir lapsus, sacroque indutus amictu
Ausonijs illum mandabat cedere terris.
Hinc & Ioannes, auro quà porta micabat
Byzanti, cæco contingens lumina. Phœbi
Iam radios dabat, & cæli conuexa tueri.
Parte alia supplex ibat, totamque trahebat
Secum Gregorius Romam, lustrabat & vrbem.
Cui cæli altipotens summa apparebat ab arce,
Aeneadumque atro rorantem sanguine condens
Mucronem, Regem placatum ostenderat æthræ.
Olli dictanti stellis exinde videres
Delapsam, nitidam candore, atque igne columbam,
Magna inspirantem passis in vertice pennis.
Haud procul inde armis, Romanoque agmine cinctus
In ferrum pulchra pro libertate ruebat
Alter magnanimus Leo, qui conspectus in albo
Cornipede, ex capta Barcæos vrbe fugabat:
Ac Tyberina sequens cædebat ad Ostia Victor;
Aspiceres Libyco spumantem sanguine Tybrim.
Alter Gregorius Germano stemmate fulgens
Agnatæ gentis tanto flagrabat amore)
Romani imperii sceptrum, triplicemque coronam
Germanis septem solio tradebat ab alto.
Quorum tres Mitra hinc stabant, tænisque verendi;

Hinc

Hinc tres accincti gladijs, galeaq; minaces;
Et Rex in medio crines diademate vinctus.
Hinc vrbem Venetùm gemmisq; auroq; coruscam
Fecerat, incanis quam fluctibus intus, & extrà
Lambebat, virides aspergens Adria ripas.
Hìc posito fastu, & sacra, Aenobarbe, corona
Iam supplex, magno Venetùm spectante Senatu,
Pronus Alexandri figebas oscula plantis
Vestibus auratis venerandi, & sede suprema.
Nec non scribentemq; Pium, tùm multa mouentem,
Sculpserat, & versum latas Orientis ad oras,
Anxia flammato prodentem pectora vultu.
Concilio astantem nunc Mantua læta fouebat;
Visentem exiguas classes, Asiæque minantem
Frustrà, nunc celsis monstrabat ab arcibus Ancon.
Sic illum in Turcas hostes pius ardor agebat.

AT procul hinc longo, ter maximus, interuallo
Postremus PIVS ardebat, cui vertice cani
Fulgebant, sed læta viro, florensq; senectus.
Sydereis oculis placidum, vultuque sereno
Immortale aliquid meditantem semper, & omnes
Aspernantem adeò fastus, effinxerat ille
Stellatus volucer, captantemq; æthera mente,
Vt modò ab æthera miseris mortalibus arce
Demissum credas, Diui tantum instar in ipso est.
Arduus hic solio Rhenum, septemq; Triones
Spectabat miserans: cæcosq;, Deoque rebelles
Arctoos damnans populos, librabat ab aure

Flammiferum intorquens fulmen, iam, iamque Draconem
Sternere, monstrum horrendum, ingens, dirumq; parabat.
Haud illi Python confossus Apollinis arcu,
Haud illi Hesperidum seruans fulgentia mala,
Peruigil haud custos Phryxæi uelleris aurei,
Nec quem Romanis contusum denique telis
Expirare tuis uidisti, Bagrada, ripis,
Se iam contulerint; terræ per iugera tanta
Heu iacet ex porrectus, & alta mole supinus.
Vt volucres angues, geminis attollitur alis,
Qui currus, Medea, tuos, Cererisque trahebant.
His latè Arctoum uolitat, cursatque per orbem,
Fatiferaque anima mentes mortalibus afflat.
Lernæus ueluti serpens, nil uulnera curans
Attollit capitum turbam, atque è faucibus atris
Fundit in exhaustum longè, & furiale uenenum,
Tartareis antris gelidum progressus ad Albim.
Hoc Rhodanum, atq; Ararim piscosoq; amne Garumnam,
Et Rheni fontes, rigidumque infecerat Istrum.
Squallet ager, syluæque arent, turbantur, & amnes,
Ac toti pereunt homines, quà sibilat ille,
Inficit æthereas tàm pestifer halitus auras.
Hinc oculos uertens Capitoli in culmine fixus
Ambracias undas, & Echinadas aspicit altas:
Illicque inter se geminas concurrere classes.
Pinxerat ille etenim totam hanc ex ordine pugnam.
TRANQVILLI argento maris effulgebat imago,
Et circum caput auratum Tritones ab vnda

Extulerant, buccisque suas per cærula conchas
Inflabant, cantu uelut illo bella cierent.
In medio Europam, atque Asiam propè fluctibus iisdem.
Classibus æratis contendere rursus Apollo
Actius, attonito similis, similisque pauenti
Spectabat, Pharon, & Romam tùm corde uolutans;
Sic ad Leucaten instructo Marte ruebant.
HINC IOANNES Italos, atque agmen Iberum
Sæua in prælia agens, flauus, pulcherque iuuenta,
Vnigena cum prole Iouis, MARIA, atque IACOBO.
Cui stanti in puppi patrius uigor ardet in ore,
Aureus effulget thorax, vomit aurea flammas
Cassida, sanguineæq; tremunt in vertice cristæ.
Haud procul ad dextram Romanis emicat armis
Tempora præcinctus rostris Antonius altis:
Antiquæ cui gentis honos, insigne superbum
Se capite attollit radiis flammata COLVMNA.
Parte alia læuum cornu venerabilis æuo
BARBARICVS agens, Venetùm dux, obuius omni
Telorum vadit nimbo, hostemq; acriter vrgens
Velle videbatur vitam pro laude pacisci.
Hinc ope Bistonia, atque Eois viribus Halys
Victor Lotophagùm ex oris, & littore Cypri
Epirum, Turcasq; feros, captosque Pelasgos
Secum classe vehit: iamque irruit impete uasto
Regalem in puppim iuuenis ductoris Iberùm.
Cyaneos scopulos iterum concurrere dicas.
Alta petunt, ignemq; vibrant hinc, inde Triremes.

At sex ante alias turrita male superbas
Mulciber ipse rotat, credas innare tot Aetnas
Auulsas pelago, fumum, flammasq; vomentes;
Tanta per vndisonos acies Vulcania campos
Tunc sine more furit; præfixo hastilia ferro,
Igniuomiq; globi, glandes, plumbumque liquescens,
Saxaq; vtrinque volant; Scythicoque excussus ab arcu
Missilibus telis iam spargitur horridus hymber.
Iam Thetidis facies fuso rubet ampla cruore.
Ipse Mahometes, aurato & Cynthia cornu
Contrà almos Petrum, & Marcum, contraq; Ioannem
Tela tenent; ferit alta suos Bellona furores,
Eumenides faces cælato ex ære coruscant.
EX Ithacæ scopulo cernens hæc, aliger hastam
Librabat MICHAEL cœlesti adamante tremendam.
Omnes eo terrore Scythes, omnesq; Geloni
Hesperio exanimes cedebant Marte subacti.
Tergaq; vertebat trepidans Maurusia pubes.
Nanque videbatur medijs elapsus Iberis
Rex Afer pauidus ventis dare vela vocatis,
Remisque incumbens certantes linquere Turcas.
Puniceis exinde volans Victoria pennis,
Naualemque ferens rostris, Lauroque coronam
Intextam, à cœlo, vt puppim super astitit altam
Hac tibi velabat, Dux Austria, tempus vtrumque.
Ibant atque alij præda, spolijsq; superbi
Ductores, omnes ciuili tempora Quercu
Euincti, & post se captiuas quisque trahebant

Bar-

Barbaricas puppes, læti Pæana canentes.
Feruere lætitia cunctas, plausúque videres
Hesperias vrbes; festa delubra Deorum
Fronde coronantur, cinguntur ab omnibus aræ;
Grates persoluunt alacres, laudesq; Tonanti:
Ac dant thura focis: faculæ iactantur in auras,
Compita collucent flammis; lychnisq; fenestræ.
AT Romam ingressus, gratanti Antonius vrbe
Victor ouans longo vinctos agit agmine Turcas.
Militeq; & populo lætis pulsantibus astra
Vocibus, & læto patrum comitante Senatu,
Albo inuectus equo, rutilis fulgebat in armis,
Præclaris equitum turmis circundatus, illum
Aulai in medio Pius accipiebat, & omnes
Sacrati proceres, ostro capita alta decori.
Hac dum cœlesti pictura lumina pascunt
Cærulei Dij, venturis gaudentque triumphis;
Ecce pater Tyberis secreto his prodit ab antro
Aurata implicitus victrici cornua Lauro,
Flauentesque comas gemmis, palmaque decorus,
Ac picturatam Tyrio subtegmine pallam
Indutus viridem, à Nymphis Laurentibus olli
Distinctam. Ipse pater solio, sceptroque tremendus
Illic intextus capiebat magna tributa
Annibus à vastis. Ganges huic pallidus aurum,
Gemmasque attulerat, Auroræ diues ab orbe.
At septemgeminis inclinas cornibus altum
Fœcundus Nilus caput, intortosque capillos,

Pyra-

Pyramidas lugens vastas, Cereremque canistris
Obtulerat plenis. argento hinc lucidus Ister
Horrentem glacie barbam, rigidisq; pruinis
Excutiens, & mox submittens quinque niuosos
Cyrrhos, Electrumq; nitens, pharetrasq; ferebat.
Nec minus auriferos redimitus harundine crines
Cærulus Euphrates, Orientis maxima dona
Procumbens, tunc Assyrios, pictosq; tapetas,
Vestesque argento, atque auro dabat inter textas;
Romanasque Aquilas reddebat, captaque signa.
Hoc habitu insignem glauci Dij protinus illum
Longè aduentantem proni, lætique salutant.
Qui iussi rigidis Crystallo in sedibus omnes
Consedère: sed Hesperidum regnator aquarum
Hos circumspiciens, Scythico, grandique Smaragdo
Innixus, solio placidus sic infit ab alto.
QVOD dudum nobis, fluuiorum numina, Diui
Promissum à Fatis fuerat, quod cærulus olim
Carpathii cecinit nobis Deus accola ponti,
Quodque diu votis omnes optauimus, almæ
En aduexerunt fausto cum sydere luces.
Iam Pietas redit, è cælo iam Astræa refulget:
Pulchraque Romanas repetit Victoria terras.
Quare vos veteres spectare assueta triumphos
Spectatura nouos, Ducibus quæ tempora cingant
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros:
FLOS etenim, splendorq; virùm, qui proferat armis
Romanum Imperium, scythicasque releget ad oras

Eu-

Eumenidas, bellique faces; quique inferat orbi
Hesperio castos mores, placidamque quietem;
Quiquè homines pulchris factis inuitet ad astra,
Ferrea qui tandem priscum conuertat in aurum
Sæcula, ab æthereo nobis demissus Olympo est.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Solis ut exortu, croceis Aurora quadrigis
Inuehitur, rebusque suos dat aperta colores
Lux noua, tum Laruæ, & Diræ cum nocte fugantur.
Sic huius pulcro aduentu, imperioque sub alto
Relligio nostris animis regnabit, & aris,
Iustaque cuique suum reddet Titania virgo
Omnia discernens, sacris Dis cedet, & aris;
Crimina diffugient, magnaque ex parte nefanda
Occidet, illius formidans Hæresis ensem
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros:
Nanque ope, & auspiciis huius Rex Gallus ouantes
Ipse suos Gallos fundet, cæloque rebelles
Multà gemens sternet, sed pulchra cæde cruentus.
Huius & à dextra, uelut ipsius acta Tonantis
Cuncta ruent ferro, & flammis, tria fulmina belli
SFORTIADAE fratres; heu quas, Romana propago,
Vrbes, diripitis? quantos iactatis, & ignes?
Quò metuende Comes? quò nam vos PAVLE, MARIq;,
Tenditis? agnosco iam Cæsaris ipse nepotes.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Hispanis oris vt Geryon ille tricorpor
Omni tunc erat horror inexpugnabilis hosti;

Sic

Sic vos tergemini, concordia pectora, fratres
Nulla vnquam horrificis vis debellauerit armis.
Verum etiam innocuos mores, animamque beatam
Atque PII vitam admirans, resipiscere tandem
Incipiet, posito, Germania sæua, furore,
Accepère Dei cultum ceu Saxones olim
Ob decus, atque tuas virtutes, inclyte Sergi.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
VT tumido, & vasto iactatis æquore nautis
Si geminus Pollux per nubila splendeat atra,
Spes redit, insanum pelagus nam sternitur, Eurusque
Actutum cadit, & cælo fida astra relucent.
Sic nobis fremitu quondam, bellique procella
Vexatis, postquam subitò hic affulsit ab alto,
Tuta quies rediit. Martis nanque horror Eoi
Disiectus cadet, & verrens nunc omnia turbo.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Ceu dum tristè sonans ab odoriferis Nabathæis
Eurus, & Arctoo Boreas sublimis ab axe
Ionio inter se puppim submergere certant;
Hæc superat, clauo cautus si fortè magister
Hæret, & aspectat cælum, geminosque Triones.
Haud aliter dum Turca furens ab littore rubro,
Germanusque ferox gelido nos terret ab orbe:
Cum regat hic Petri nauim, cernatque Tonantem,
Amborum illa minas ridens, ad sydera tendit.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Quid memorem quam sit promissus hic ordine certo

Fato-

Fatorum nobis? diuino numine tactæ
Nam morientum animæ sacra, cecinère, Tiara
Tempora deuinctum, terris hunc iura daturum.
Aut poterit Diuos quantum exorare precando?
Nam pestemuè, famemuè canens, cùm turbidus alueo
Egrediar, Romam deformaturus, & agros;
Diluuiem ipse meam frænabit imagine summi
Agni, cælicolùmque minas auertet, & iras.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Nec Rex Dictæus, quondam, quo iustior alter
Non fuit, affatu sic est genitoris in antro
Consultus: sacroque specu neque coniugis almæ
Aegeriæ monitu Numa sic edoctus abibat.
Colloquio vt superùm sæpè hic dignabitur alto
Siue vigil, seu per noctem, placidumq; soporem.
E quibus admonitus trepido quàm consulet orbi?
Qua geret admiranda toga, quæ fortis in armis?
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Nam quamuis velut incanus Rex paupere terra
Qui magnam veniens Romam, Curibusq; relictis
Pacifer imperium rexit; sic ritibus ille
Sacrificis, cultuq; Deùm, paciq; vacabit
Multa religione Pius; cùm classibus omnem
Vastari tamen Europam spectabit Eois,
In ferrum ruet, àc vincet, Magniq; triumphos
Pompeij æquabit, postquam maria omnia sæuis
Purgauit Cilicum, Piratarumq; carinis.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.

Qualis enim auritas Quercus, volucresq;, ferasq;
Attraxit cantu, fidibusq; Oeagrius Heros.
Vtq; sono Amphion testudinis ardua vellens
Saxa Cithæronis Thebanas duxit ad arces.
Sic animos Regum resides, & pectora dura
Hic precibus franget, laudisq; accendet amore.
Atq; Iouis mandata velut Tegeaticus ales
Illis exponens, sancta inflammabit ad arma.
Pangite per ripas, mea flumina pangite Lauros,
Tunc Itali, Hispaniq; simul, ceu lumina Phœbo
Deniq; pandentes, clademq;, instansq; periclum
Ex hoc admoniti cernent, atq; agmina iungent,
Odrysiumq; petent instructis puppibus hostem.
Qui tum classe potens, domitoq; Oriente superbus
Haud detrectabit certamen. Quò rius, amens
Barbare? iam cadis, & nostro iam cæderis ense.
Te PIVS antè omnes prostrauit, at eminus orans.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Nam veluti, donec sublimia brachia pandit
Legifer Hebræus prærupti in vertice montis,
Proq; suis orat: superabat strennuus heros
Nauiades hostes, Amalechitamq; ferocem.
Haud aliter, PIE, dum lachrymis, precibusq; Tonantem
Ipse fatigabis, Votisque onerabis Olympum;
Nostri ad Naupactum ductores sæua cientes
Prælia, iam classes, Turcarunque agmina vincent.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Quis cladem illius pugnæ? quis funera Thracum

Expli-

Explicet? aut captas numerauerit ordine puppes?
Ambo, Corinthiacus sinus, Ambraciusque cruore
Ismario, & multa Maurorum cæde rubescent.
Horrebisque tuos, Acheloe, in cærula fluctus
Voluere, ne macules tàm fœdo sanguine lymphas.
Alta cadaueribus tua, spectans, ostia claudi.
Pascentur pisces, & hiantia vulnera lambent.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Quis ve Ducum prædas, signa, aut spolia ampla relata,
Magna quis Hesperiæ victricis gaudia narret?
Quin etiam, Pater alme, noua tunc ebrius ipse
Lætiti a, antiquos meritæ virtutis honores
Concedes Ducibus Romano sanguine cretis;
Hosque intrare suæ, veteri de more iubebis
Alta triumphantes genitricis mœnia Romæ.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Sæclorum post tot reuoluta volumina primùm
Spicula tunc, scythico que arcus, pandasq; Cateias
Aspiciemus iò, pharetrasq;, altosque Tiaras;
Atque catenatos tractos longo ordine Turcas.
Feruere tum Romam, priscosque resumere fastus.
Floribus in bruma pueri, innuptæque puellæ
Conspergent te, Ductor; iòque triumphe, canentes
Patres. Victor, iò, tua cingent tempora Lauru.
Quas lachrymas dabis hos cernens, PIE magne, triumphos?
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
En tibi Gramineas, Quernasque Europa coronas
Adferet, atque patrem te, tutoremque vocabit

Grata suum: gratès sulcator nauita ponti
Tutus aget, quod iam pacata per æquora merces
Transuectare queat. Parnassi è colle sorores
Pro libertatis spe, sacro stipite Laurum
Portabunt, laudesq; tuas cantabit Apollo,
Ac te pro charis accendet ad arma Pelasgis.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
An memorem quali vitæ splendore micabit?
Gregorios priscos iterum, priscosque Leones
Per nostras videor spatiantes cernere ripas:
Tanta in eo virtus, maiestas tanta relucet.
Conspicuisque suis sic ille è moribus omnem
Expulsis uitijs, & luxu uiuere coget
Romam incorruptam; tali quæ principe talem
Censuram aspiciens, Tarpeiam rursus ad arcem
Fabricium rediisse feret, geminosque Catones.
Pangite per ripas, mea flumiua, pangite Lauros.
Plectentur sontes, insons tolletur ad astra:
Atque Sacerdotes casti vitaque, togaq;
Fulgebunt; fugiet tàm sancta Thais ab vrbe:
Nec tantæ fuit ulla suo pia nata parenti
Curæ, semper eris quantæ illi, Martia ROMA.
Nanque hùc læta uehet sua pleno Copia cornu
Munera, distendetque suis nostra horrea latè
Frugibus alma Ceres; mulcens populumque, patresque
Lætitiæ genitor, sua flumina fundet Iacchus.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Vtque Asiæ terris ad caspia regna repellat

Vnde hùc egreßi, ferroq;, & montibus arctet
Bisaltasque, Getasq; feros, Turcamque potentem;
Magnos Legatos, Oratoresque per omnem
Europam mittet, qui persuadendo, precandoque
Efficiet, magni coeant in fœdera Reges:
Coniurentque illos Europæ expellere dorso,
Mox ab Idumæa, ditiq; Orientis ab ora.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Hactenus ipse mihi fatorum gnarus, & æui
Venturi cecinit, tacuit sed cætera Proteus.
Quid tibi vaticiner nunc ipse, ò Maxime Pastor,
Num velut Alcides alter non pondere clauæ,
Sed Petri gladio, precibusq;, fideque tremendus,
Nec rationis egens, tu denique funditus Hydræ
Huius tot capitum turbam obtruncabis Eoæ?
O si contingat tibi gratia talis ab alto.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Fallor, an vt soleo persuasus id omine certo
Auguror? en hodie casta de virgine nato
Cælicolùm Regi Nabathæa ab sede profecti
Iam stella monstrante viam, sua munera Reges
Aethiopes aurum, Myrrhamque, & thura dedere.
Sic hodie illius subeunti, maxime, primùm
QVINTE, vices, Asiæ Reges, duce flamine sancto,
Siue armis fracti, fidi, proniq; tributa
Magna ferent tibi, quos sacro tu flumine tinges.
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
Quare agite, ò Nymphæ Laurentes, nostra voluptas.

Vosque ò Naiades, quando formosior ardet,
Proque hyeme incana Sol explicat auricomum Ver:
Ite citæ, viridique meas modò gramine ripas
Instruite, & molles Zephyros, Floramque vocantes
Floribus omnigenis lætas variate, comantesque
His olli calathos, & hiantia porgite serta.
Et vos, ò Diui, maiores fontibus vndas
Voluite, & vnde illi carpatur Laurea digna
Pangite per ripas, mea flumina, pangite Lauros.
At tu, summe Pater, qui res hominumque, Deùmque
Et regis, & curas, insomni & lumine spectas:
Hunc terris concede diu, serumque sub astra
Attollas: quamuis iampridem fulgere dignus
Sydereos inter proceres sit, & agmina cæli.
Cernis enim veluti nos Turca ab littore Thracum
Terreat, vt Romæ stragesque, & vincla minetur.
Sat Gothicos enses toties, Hunnosque furores
Pertulimus, flammasque Afras, Numidùmque rapinas,
Diuitijsque suis viduatam fleuimus urbem.
Sat lacrymans rubros Romano sanguine fluctus,
Et decora alta patrum, Romanaque corpora uolui.
Si tandem tibi Caucaseas excindere gentes
Et Turcas, sedet: en huius dextraque sacrisque
Auspicijs frangas. Quando Victoria prima
Te donante sub hoc cedet: primique triumphi
Hoc duce barbarici lætam referentur ad urbem.
Incipies (noui) perge, ò Regnator Olympi.
Tunc meritis illum, spolijsque Orientis onustum

Accipias

Accipias Cælo, uiridi non fronde coronans,
Intexto at ſtellis ſerto, æterniumque micanti.
Tunc Diuos inter mortalia pectora uotis
Olli damnanti centum ſua Roma ſacrabit
Templa, per Heſperiam tunc mille altaria ſurgent;
Itala tum pubes ludis de more dicatis
Illius æternis celebrabunt Orgia faſtis.

FINIS.



MVTII SFORTIÆ SYLVA

AD GVLIELMVM SIRLETVM S. R. E.

Cardinalem Doctissimum.



V modò, seu nitidi sacram Jordanis ad vndam,
Siue per Aonios montes, Parnassiaque antra,
Murmure quà placido delabitur Hippocrene:
Seu per Thyrreni potius vada Tybridis erras,
Hùc ades, & fessum curarum turbine pectus
Calliopèa fouens, mihi spe, cantuq; serena:
Vt pariterque tuo, & superæ virtutis alumno
Carmina SIRLETO valeam contexere digna
Dotibus vt magnis, paucisque à numine Diuum
Concessis, ardens tua viuida pectora uirtus
Imbuit, àc uulgo te iam secreuit, humoquè
Extulit, & sacram conuertit ad æthera mentem

Pupu-

Pupurei decus, & splendor, SIRLETE, Senatus:
Cælari haud dudum patriæ est te passa latebris
Ignotum populis caput; at sibi conscia tanti
Luminis, & longè sortis præsaga futuræ,
Non in sublimes Europæ quaslibet vrbes
Impulit, at grauidam imperijs, claramque triumphis
Vrbem, Tarpeiasque arces accedere iussit.
Vt veluti à specula, aerijque è vertice montis
Ex illis cuncto te latè ostenderet orbi,
Qua pietas tua nota foret, moresq; pudici,
Ardensque ingenium, & doctrina per omnia præstans;
Tum notis meriti, clarique darentur honores.
Ergo non atauùm tot inania stemmata iactans,
Nec sub nixus opum vi, thesaurisque paternis,
Nec priscis fretus titulis, fastuque superbus;
Sed duce virtute, & vitæ candore coruscus
Atque bonis animi, præclarisque artibus auctus
Ingrederis Dominæ Mauortia mœnia Romæ.
Nec quod Sisyphio multi persæpè labore
Tentarunt miseri, tristesque tulère repulsam,
Obsequiis, magnovè auro, precibusvè potentum
Aut Mitræ, aut Ostri supremos ambis honores.
Ast vbi vibrasti radios è pectore claros,
Et disciplinæ uariis patùere figuris,
Deprompsitque suas torrens facundia uires,
Læta PII dudum suspendens principis aures.
In fulua ueluti sapiens cum spectat arena
Aut Adamanta grauem, uiridem seu fortè Smaragdum

Neglectum, lætatus humo cito ſubſtulit, atque hunc
Vt decet, ardenti circundat protinus auro.
Haud ſecus ingenuas lyncæo lumine dotes
Miratus ſenior, nudas, & honore carentes
Non tulit, at ſacro meritas has induit Oſtro;
Namque ad uelauit Tyrio tibi docta Galero
Tempora, concilioque patrum diſcumbere ſummo
Te dedit, àc magnas rerum permiſit habenas.
Et meritò; nam quis ſacras te pandere chartas
Aptior? aut CRHISTI templi recludere ualuas
Cardo adamante micans, cœlique arcana profari?
Cuius nam grauitas, cuius prudentia maior?
Vtilius quis te medio in diſcrimine rerum
Conſulit? aut cuius præclaras curia uoces,
Romanuſque parens intentius auribus haurit?
Quid memorem quantum ualeas, gratiſſima fando,
Quamque tuum micet eloquium? tu grandine mixtos
Effundis nimbos, celeri ſic acria torno
Verba fluunt; talis facundia fertur Vliſſi.
Nec ſatis eſt ſermo Romanus, Hymectia ſtillant
Mella tuis labris: priſcæ inſtaurantur Athenæ
Ore tuo, & proprias audit iam Græcia uoces.
Quinetiam tantus diſcendi eſt ardor, & hac ui
Ingenii polles, ſtridentia, anhelaque uerba
Conaris, linguamque diu meditatus Hebræam
Aſſequeris: puros ut ab ipſo fonte ſupernos
Libares latices, ſenſuſque haurire latentes
Poſſis, & ætherei myſteria ſumma Tonantis.

Macte bonis animi, reminiscitur inclyta Roma
Talia te fantem, tot diuersasque sonantem
Linguas accipiens, qualis doctissimus olim
Præsbyter Illyritæ nitor, & Stridonis alumnus
Quique domum Christi radians illuminat vt Sol,
Ipsam suspensam, pendentemq; eius ab ore
Vocibus erudiens iandudum mulserit iisdem.
Quis referat quàm tu memori monumenta priorum
Mente amplectaris? tibi quamque æterna legenti
Adsit Mnemosyne, & longos comitetur in usus?
Historias si quis diuinas, siue prophanas
Te roget, ex templo tàm pulchroq; ordine narras,
Cederet vt longè tibi Latro Portius ille.
Hasq; adeo vrbanis salibus, niueoq; lepore
Condis, vt & cuncti docti, multiq; verendi,
Muriceq; insignes proceres tua tecta frequentent:
Flexanimasq; tuas cupiant audire loquelas,
Candida Nestorei cedit queis gratia mellis.
Clarorum Heroum dum facta antiqua recenses,
Et vetera, atque noua thesauro expromis opimo.
Si disciplinas reliquas enitar, & artes
Quæ te conspicuum reddunt, euoluere versu,
Immensum mihi crescet opus, frustraque fatigem
Pieridas; qui te dulcè audiuere loquentem
Senserunt, & opes quas pleno è pectore fundis.
Attonitique tuas doctrinas vsque celebrant.
Tu velut intenso, & concordi Cymbalon ære
Tinnitu, tenerisq; sonoribus aëra mulcet,

Quacunque impulsum fuerit, sic quicquid ab omni
Parte, à discendi cupidis, cùm fortè rogaris,
Facundo ore refers, aperisq; obscura repentè.
Talis Auernali consulta, oracula, ab antro
Pectora plena Deo, mentemq; afflata Sibylla
Attonito edebat populo, Phœbumq; precanti.
Qua propter Calabri non tantum ad sydera priscos
Nunc ciues iactent sapientes: desinat alta
Elea Parmenidem, argutumq; efferre probumq;
Zenonem doctis charum, inuisumq; Tyrannis.
Et tua maiori tumefiat patria fastu,
Teq; astris æquet, superes cùm maximus illos
Moribus, eloquioq; alto, sophiaque superna;
Fecerit hos quamuis claros veneranda vetustas.
Admiranda quidem sunt, & dignissima cantu
Quæ cecini, possunt ast hæc contingere multis
Qui sint culparum, vitiorumque agmine cincti.
Illa magis temet decorant, illa aurea pandunt
Sydera, & æternum hìc parient tibi nomen, & illic;
Relligio, & puro Pietas circundata panno,
Ad primos quæ te spectata euexit honores:
Intemerata fides non vlli obnoxia næuo,
Armis Arctoo sed quam tutaris ab hoste.
Additur hùc oris grauitas, habitusq; seuerus,
Quem non commendat tantum sacra Purpura, quantum
Innocui mores, probitasq;, & vita refulgens;
Cuius ad exemplum famulos & viuere cogis,
Qua magis admirantum oculos conuertis, & ora

In

In te, quàm pulchris dictis: qua ducis ad astra,
Quaque doces homines præcepta excelsa Tonantis.
Quid loquar vt constans animi, qualiq; tenore
Tranquillæ vitæ, semper duraueris idem.
Ante inuictus eras, casuque interritus omni
Intulerat quicquid fortuna aduersa ferebas.
Post, vbi purpureus sacros de vertice honores
Fudit apex, & te Pœnum circundedit ostrum,
Haud honor inflauit tumidum, non extulit ingens
Lætitia; haud luxus, nec opes, titulusvè superbus
Fregerunt animum: fortisq; per omnia mentis
Haud obcæcauit crassa caligine lumen
Ambitio, vt tete iam ignorans cernere verum
Non possis, reliquumque iuuet contemnere vulgus.
Sæpius exemplo quæ nos vexare videmus
Magnā partem hominum prouectam ad culmen honorum.
Qualis eras facilis, cunctisq; affabilis omni
Congressu quondam, talem, mitemque, modestumque
Atque humilem modò te præstas, grauitate verendum.
Quinetiam quæ te stellis æquauit honore,
Sublimemque dedit fama clarescere Virtus,
E gremio formosa tuo procul ardet, & omnes
Ad sese iuuenes vocat, hortaturque fugatis
Vt vitijs, totis incumbant viribus almæ
Doctrinæ, pulchrasque artes ediscere multo
Sudore assuescant, tua per vestigia sanctam
Pallada ritè colant, ac detestentur Iacchum.
Inde suis per te sua præmia monstrat alumnis,

Te

Te digito oſtendens cunctis, Tyriumque galerum,
Quem, caput aduelans, meritò tibi tradidit ipſa.
Atque iuuentuti ſtudioſæ pandere tecta
Te iubet, & læta venienti occurrere fronte.
Ecquis enim iuuenum cui ſit mens ire per altos
Virtutis calles, unquam tua limina adiuit,
Quem non hoſpitio, vel ope es dignatus? & auro
Iuueris? aut calcar ſubdens ad laudis amorem
Non inflammaris, luſus, atque ocia damnans?
Imploratus opem cui non, venerande, tuliſti?
Illorum quem nam tuus haud fauor extulit ingens?
Quem tua Pontifici non commendauit egenum
Gratia, ſed pulchro uirtutum examine fultum?
Pierij tutela chori, ſpes unica doctis,
Diſciplinarum portus, gratumque leuamen.
Sed quid ego aut niueos mores modò carmine nitar
Et uitam exaltare tuam rubigine puram,
Omnis cum Roma admiretur, & Itala tellus?
Aut quid doctrinas diuerſas, quæ tua complent
Pectora, nunc tentem tereti percurrere uerſu;
Ingenij monumenta tui ſi candida pandent
Has, iam iam claras uentura excuſa ſub auras,
Lucubrata ſibi magno, SIRLETE, labore?
Quæ te monſtrabunt nobis, æuoque futuro,
Atquè æterna tuum ducent per ſæcula nomen?

FINIS.



MVTII SFORTIÆ PSALTERII DAVIDICI LAVDES PER NOVEM MVSAS DECANTATÆ.

C L I O.



ONTIS Gorgonei limpida flumina,
Parnassique iugum, & Lauriferum nemus,
Explent unde sitim, certaq; præmia
Vates attonitis frontibus implicant,
O Rex chare Ioui, liquimus en tui
Ergò, atque undisoni uenimus ad uada
Iordanis, colimusque alta cacumina,
Rupesque aërias, queis residens Sion
Sacris carminibus surgit ad æthera.
Certatim ut meritis laudibus aureum
Extollamus opus, quod tibi spiritus

Can-

Cantanti æthereus, pectora commouens,
Dictauit, reserans abdita sæculis.
Quis nam sic patrias carmine nobili
Texens historias explicat ordine;
Vt tu, principio qui canis, vt Deus
Terram, cumque suis syderibus polum,
Et verbo ex nihilo cuncta creauerit?
Exin commemoras prodigia horrida,
Et quanta omnipotens mira patrauerit,
Charos dum Isacidas compede barbara,
Memphitique iugo subtrahit aspero.
Illis attonitis æquoris vt rubri
Interrupit aquas, arida per vada
Ducens incolumes; vt Pharaonios
Currusq; atque equites fluctibus obruit.
Enectisque siti blandus vt è petra
Percußa elicuit dulcia flumina.
Vtque iisdem querulis esurientibus
Rorantem Ambrosiam ex æthere præstitit.
Vt carnes iterum crebra petentibus
Pennatas volucres Africus attulit.
Exprobrans at eis raucaque murmura,
Ingratosque animos, quàm benè singulas
Plagas ipse refers, queis Deus impiam
Aegyptum, & Pharios heu nimis efferos
Percussit populos, Regiaque agmina?
Iosephum tereti carminè uenditum
Cum tu Rex celebras; & canis arduo

Mosen ore ducem. nec tua Barbitos
Fratrem Pontificem præterit inclytum;
Cum Zelum Phinei tollis ad æthera,
Atque Anna genitum conferis inter hos,
Donatam cytharam protinus auream
Submittit, reticens, àc tua carmina
Miratur bibulis auribus hauriens,
Phœbæamq; libens dat tibi Laurèam
Thebarum decus, & gloria Pindarus;
Qui ludos celebrans quattuor, ad Deos
Victores varijs laudibus euehit.

EVTERPE.



T nunc soror secunda
Quæ suauitate cantus
Homines simul, Deosque
Oblecto; nomen vnde
Mihi indidère vates;
Hunc Barbiton, senex quo
Iam Teius puellas,
Ac maschulos amores
Cecinit madens Lyæo,
Plectro feriens eburno
Qua suauitate, dicam,
Psalmi tui superni
Ros Nectaris spuentes
Corda impleant, rigentque;

Mortalibus beatis,
Rex, & poeta magne?
Non lucibus serenis,
Vernisq́;, cum rubescens
Aurora lumen effert,
Virgulta sic per alta
Syluæ coma virentis,
Canentium volucrum
Concentus ille dulcis
Pertranseuntis aures
Demulcet, atque pectus.
Vt carminum tuorum
Melos & audientes,
Et dulciter canentes
Mira, profunda, & alma
In læta corda sparsa
Dulcedine implet, afflat;
Et calfacit beatis
Affectibus medullas.
Et nunc, Hebræi ut olim
Primi furente Regis
E pectore exigebas
Atram, feramq́; Erynnim
Cantu puer, lyráque.
Sic nostra ab inquieta,
Atque æstuante mente
Mæstas, malasq́; curas
Cupidinesq́; diras,

Quas

Quas Tartari dolosus
Rex, noster hostis infert,
Tu versibus sacratis
Detergis, atque tollis;
Vt discutit sonoras
Nubes, & atrum Olympum
Boreæ serenat auras.
Quin deuocamus æthra,
Et lucidis ab astris
Nos spiritum superni
Parentis, atque nati,
Atque vtriusque amorem.
Non ære pulso, & aspro
Cantamine, efferoque:
Vt saga cœlo ab alto
Iam Thessala euocabat
Phœbi rubram sororem;
Illos tuos sed almos
Psalmos canendo, & odas:
Ergo vnica, & creatrix
Illa aura tracta cantu,
Et puritate cordis
Delabitur repentè,
Nostrumque pectus intrat;
Gemitusque, gaudiumque
Dat, lachrymasque dulces.
Nam sicut Auster, & Sol
Niues diu rigentes

Radio tepenti, & aura
Soluunt, aquisque reddunt.
Sic & beatus orbis
Ille author, atque rector
Qui visus est sub ignis
Specie sacris alumnis
Christi, ruens ab æthra
Nos afflat, excitansq;
Intrinsecus perurit;
Et nostra dura corda
Glacie rigentiora
Confringit, atque mollit,
In lachrymasque soluit.
Quæ per genas volutæ
Inebriantq; dulces
Nos, criminumq; sordes
Tergunt, lauant, fugantq;.
Suspiriis, precique,
Singultibusque mixtas
Has victimas vt altas
Regi Deo beati
Tunc afferunt Polorum
Ciues, cohorsq; Diuûm.
Placatus his at ille
Ignoscit, atque cuncta
Peccata tunc remittit

THALIA.



EC diuini operis tacebo laudes,
Omnem quod volitat vigens per orbem,
Ascræo veniens Thalia ab agro,
O Rex perpetua Rosa decore, &
Lauro virginea comas virescens.
Vt altissima Cedrus in supremo
Celsi vertice Libani superbis
Ramis, atque cacumine eminenti
Cunctas obruit arbores, premitq;.
Illud non aliter tuum poëma
Clarum, nobile, & elegans, & altum
Iam poëmata cuncta docta vincit.
Et quantum superat creator ille,
Ille spiritus almus orbis aut hor
Flauam Pallada, Apollinenq; fratrem,
Tantum, Rex pie, cæteris poëtis
Tu præstas. etenim repletus illo
Tu mysteria magna detonasti,
Ac Diuûm celebras, canisq; Regem,
Non Heroa, virumq;, nec puellam
Hijs at Dijs tumidi hi suos amores
Lasciuos, fera bella, furta, stupra,
Ac mendacia multa texuère.
Qua propter meritò tuum sacrumque, &
Dictatum tibi Flamine à superno,

Diui-

Diuinum hoc opus, aureumque carmen,
Quo verax canis, explicasque mæstum
Vt Rex cœlicolùm reuisit orbem
Terrarum, è tumuloque victor astra
Ascendit, superæque munus auræ
Misit, credidit vnde mundus illi:
Per templa omnia, per choros & omnes,
Et per oppida cuncta, perque eremos
Matres, & pueri, viri, senesque
Coniux, sponsaque, virginesque sacræ
Vno concinuère semper ore.
Vnde luciferas agit quadrigas
Sol, quaq; Hesperus astra clara ducit,
Qua Nilus tepet, atque Cancer ardet:
Quaque Arctos riget, àc gelascit Ister,
Cunctis Dauidici per ora Psalmi;
Alternos chorus omnis hosce dixit.
Quin tantus uigor, atque tanta virtus
Eius Flaminis almi in hisce spirat,
Vt vis candida, flos, nitorque eorum
Nunquam emarcuerit, sed omne in æuum
Durant, àc recreant odore mentes.
Et quò sæpius ore concinuntur,
Hoc mulcent magis, & iuuant canentes.
Nec vates alius, nec ipse Homerus
Sic virùm celeber fuit per ora.
Et si Tartarea lue vagante
A CHRISTO bona pars recessit orbis,

Nec

Nec ſic per loca cuncta nunc, ut olim
Diuinum canitur tuum poëma;
Tamen tempus erit, nec ipſa fallor,
Cum vnus Paſtor ouile paſcet vnum,
Genſque omnis Dominum, Deumque verum.
Agnoſcens colet, & ſacrabit aras.
Tunc ſeptem rigidi tuos Triones
Pſalmos, atque meridies, & Ortus
Occaſuſque legent, canent, amabunt.
Cæleſtis tua Muſa tunc virebit
Cunctorum pariter volans per ora,
Donec ſub fluuio uagantis ignis
Terræ, ſydera, & æquor innouentur.

MELPOMENE.



O CANTOR *almi ſpiritus,*
Canorum & eiuſdem organum
Sic tinniens, ut terminos
Orbis ſono repleueris.
O Rex triumphalem gerens
Textam coronæ Lauream
Poeta, Duxque maximus,
Pro carmine, & victorijs
Hoc dulce carmen accipe.
Cantum celebrans quod tuum
Melpomene ipſa pectore
Caſto tibi nunc concino.

Vt

Vt vere primo in arboris
Ramo virentis dulciter
Canens Aèdon, aèra
Dulcedine implet, & nemus.
Vt mortis hora candidus
Leni Cygnus de gutture
Tàm suaue carmen eliquat
Sistant vt vndas Naiades.
Tam parua sed quid comparo?
Velut beati cælites
Pulcherrimos per ordines
Coram monarcha maximo
Stellantibus dum personant
Lyris, Olympum, & sydera
Cantu replent suauissimo,
Animasq; mulcent inclytas.
Sic tu, Poeta nobilis,
Psalterium dum verberas
Melos facis dulcissimum,
Homines iuuans & numina.
Dum lachrymans sic personas,
Flectis Tonantem vindicem:
Dum concinens sic intonas
Atros fugas tu Dæmonas.
Vt Sol tenebras discutit,
Cælumque reddit lucidum,
Sic ipse tristi è pectore
Curas repellis anxias.

Sic

Sic Pægaſcium melos
Tuis adhuc in verſibus
Blandum reſultat tinniens,
Animos vt ægros mulceat.
Quid Amphionem, aut Orphea
Traxiſse ſyluas, & feras,
Ac ſaxa, dicunt, carmine,
Et garrula teſtudine?
Cantu tuo vel æthera,
Tu commouens, àc Tartarum;
Terrasq́; Olympo copulans
Mira afficis dulcedine.
Nam ſancta ad illa carmina
Egreſſa corde feruido,
Demiſſi ab æthra cælites
Circum canentes peruolant.
Contrà ſed atræ Erynnies,
Vt aſpides cantamine
Pulſæ recedunt protinus,
Tentatioq́; concidit.
Mortalis at mens libera
Raptatur in cæleſtia;
Ibique dulci in extaſi
Fruitur Dei præſentia.

TERPSICHORE.

NON sic Apollo flauicomum caput
Lauro reuinctus vertice floridi
Parnassi, odorata sub vmbra,
Castaliumque sedens ad amnem:
Nostras choreas, dum cythara aurea
Suos amores personat igneos,
Oblectat, intentasque mulcet,
Detinet & Zephyros tacentes:
Nec celsi Olympi in culmine fulgido
Choros Deorum, dum Iouis intonat
Victorias, àc fulminatos
Terrigenas, ita mulcet idem:
Vt tu beatos Cælicolùm choros,
Mortaliumq;, ò Rex bone, canticis
Mulsisti, & olim, nuncque mulces
Carmine, perpetuisque chartis.
Nanque Heman, Asaphq;, & simul Idithum
Vates canentes, qui cytharas cauas,
Psalterium quique increpantes,
Cymbalaque, atque suo, tuoque
Arcana cæli carmine panderent,
Tu Rector olim præficis inclyte:
Cætusque mulcerent, chorosq;
Cantibus, altisonisq; naulis.
Per templa sed nunc omnia quæ Deum,

Christumque adorant, tempore quolibet
Omnes per horas; cum tacet nox,
Cumque dies oriens rubescit:
Cum flagrat æqua luce meridies,
Horisque post, atque ante meridiem:
Inclinat & cum Sol in vndas:
Cumq; diem fugiendo claudit;
Tuiq; Psalmi, & cantica personant.
Nam per choros, est cernere, candidis
Stolis sacerdotes amictos;
Atque alios varijs capillos
Tectos cucullis, dulcia carmina
Tua intonantes, pectore feruido
Alterna semper concrepantes,
Cymbala dum resonant, lyræq;!
Tum corda plebis vocibus his sacris
Contacta, cœli ad numina transuolant;
Et lachrymas fundunt per ora,
Quas pietasq;, fidesque donant.
Gaudent beati, gaudet & in throno
Stellis recumbens vndique fulgido
Mundi creator, gratiasq;
Munifica iacit inde dextra.
Tum sic Deorum stelliuagos choros,
Mortaliumq;, ò, carmine perpeti
Diuine Psaltes, ipse mulces,
Infima concilians supernis.

ERATO.

ARBITON munus teneræ, atque amantis
Lesbiæ, pulsans Erato, puellæ,
Nunc tuos eius numeris amores
Ordiar, ò Rex.
Nullius chartis ita vatis almi,
Nullius scriptis sapientis ille
Jlle Diuinus amor, vt tuis in
Versibus ardet.
Nanq; ceu Phœbi radius coruscans
Concauum fortè in speculum, reflexus
Igne scintillat, valideq; adurit
Obuia quæque.
Haud secus cæli Deus ille sanctus
In tuum sacrum, niueumq; pectus
Spiritus labens micat, & perenni.
Lampade flagrat.
Flagrat & magno veniens Olympo
In tuis sacris, nitidisq; chartis;
Ac pios illas homines legentes.
Igne perurit.
Lassus vt cursu, rapidoq; Sole
Ceruus intendit gelidos ad amnes,
Quem sitis flagrans mèdio sub æstu
Torret anhelum;
Sic tua ardescens anima, atq; amore

Tacta

Tacta cœlesti cupit ad Tonantem.
Hic tibi verax Amor, hicque zelus
Præbuit olim
Robur, & fundam, lapidesq;, & arma,
Queis Philistæum perimis Gigantem
Rufe tu Pastor, rutilansque primo
Flore iuuentæ.
Hoc sacro accensus, pie Rex, amore
Regis æterni canis ipse amorem,
Quo genus nostrum nimis ille, & antè
Sæcula amauit.
Nam Dei patris canis ipse natum
E tuo claro fore nasciturum
Semine, vt uinclis hominem Tyranni
Eruat Orci.
Vt ferant Reges Arabum, & Sabæi
Dona iam nato. canis inde lethi
Illius pœnas; genus, & flagella,
Insidiasq;.
Vt pedes fixus, geminasque palmas
Hæserit ligno; dederint vt escam
Fel ei, vt potum dederint acetum
Impia Idume.
Eius vt vestes sibi miles æqua
Sorte diuisit, recitasq; verba
Queìs Patri mittens animam beatam
Lumina clausit.
Vtque dormiuit, subitoq; victa

Mor-

Morte surrexit, rutilaq; vt illum
Luce suscepit genitor coruscum
Ditis ab ora.
Vt suum sanctum nihil in sepulcro
Jlle corrumpi dedit; haud reliquit
Eius effulgentem animam sub Orci
Sedibus atris.
Vtq; captiuas acies reducens
Astra cum plausu, & cytharis, tubisq;
Victor ascendit: dedit vtq; sanctum
Flamen ab æthra.
Vtq; in occasum properante mundo
Hora in extrema manifestus orbem
Iudicaturus veniet, sed alto
Jgne tremendus.
Vtque damnabit stygias ad vndas
Impios: contraque pijs perennem
Gloriam cœli dabit, atque sese;
Inclyte, cantas.
Vt det hanc nobis, bonex Rex, Amorem
Tu roga æternum, simul vt canamus
Inter Heroas, superasque Nymphas
Dulciter hymnos.

POLYMNIA.

*T laudare tuas nunc Polyhymnia*
Hymnos aggredior, claraque carmina,

Lesboum haud fugiens tendere barbiton,
Rex ense, atque lyra potens.
Vt nostri in medio fulgidus emicat
Phœbus, dum cythara personat aurea,
Cantantique simul cedimus, auribus
Dum lætis bibimus melos.
Sic ipse in lyricis vatibus emines
Omnes exuperans. si celebras Deum
Tu, vel Semideos concinis, arduus
Concedit tibi Pindarus.
Gentis siue tuæ fortia prælia
Narras, Stesichorus vincitur, àc stupet.
Si vinum exhilarans cor hominis, canis,
Gaudens cedit Anacreon.
Passuri Domini si procul intuens
Heu tormenta; tui seu populi efferum
Vrbisque excidium cernis, & ingemis,
Pulsans æthera questibus.
Cœi musa senis tot lachrymas tuas
Admiratur hians. si chelyn increpans,
Tot mysteria, tot dulcisonis Deum
Hymnis arduus intonas.
Hymnis ille suis dulcibus, & sacris
Cedit, Threiciæ qui fidibus lyræ,
Auritasque feras traxit, & arbores,
Hebri sistit, & impetuum.
Quicquid denique in his vatibus eminet,
In te colligitur, floret, & emicat,

Aures,

Aures, atque animos quod trahat omnium
Ad cœlestia carmina.
Qualis vere nouo grata Fauonij
Spirans aura replet floribus, & Rosis
Pratum, quod viridans talibus enitet
Gemmis versicoloribus.
Talis mundi opifex Spiritus æthere
Spirans, ætheriæ mille coloribus
Doctrinæ exhilarat, pingit ex hoc tuum
Rex, Psalterion aureum.
Qua propter iuuenes, & pueri, & senes
Hoc discant, & ament semper, & hoc canant;
Tali nanque sacro carmine ianua
Nobis panditur ætheris.

VRANIA.


T modò hanc chelyn aureis
Stellulis benè fulgidam
Increpans, ab Olympicis
Labor Vranie ædibus
Veste cærula amicta.
Vt canam tua carmina,
Queis Poli canis ardua,
Atque clara palatia,
Rex, poetaque nobilis,
Eminensque propheta.
Vt volans super æthera

Dulcè ibi requiescerес,
Quis dedit tibi liberas,
Candidasque columbulæ
Rector optime, pennas?
Fontem apud Iouis aureum
Tu thronum aspicis, optima
Vita quo scatet omnibus;
Quo fluit superos beans
Vera, & alma voluptas.
Cernis & simul impetum
Quo Dei exhilarat sacram
Vrbem, & astrigeras domos
Cælitum, ille mero fluens
Amnis, Ambrosiaque.
Cæli vt astraque prædicent
Gloriam, intelligis, Dei,
Eius vtque opera inclyta
Hosque, syderaque aspicis,
Atque cornua Lunæ.
Vt Deùm pater aurea
Sydera enumeret, canis:
Omnibusq; vt eis vocet
Nomina, imperet vt sua
Iussa certa facessant.
Vt sibi igniferi ætheris
Verticem Deus arduum
Legerit veluti thronum,
Filijs hominum hanc humum

Dans, marisq; profundum.
At quid ipsa modò explicem
In tuis quoties sacris
Canticis iubar igneum
Solis, àc rutilum globum
Cynthiæ, astraq; cantes?
Sique mystica quæ latent
Sensa nominibus sub his
Explicare velim, magis
Ac magis mihi maximum
Crescet, atque opus ingens.
Tu velut penetralia
Aetheris superi intuens,
Cælitumq; palatia,
Raptus vt subita extasi
Rumpis hanc, pie, vocem:
O quàm amabilia aurea
Tecta, magne Diespiter,
Sunt tua; ista alta in atria
Concupiscit, & ingemit
Spiritus meus ardens.
Vndique ille beatus est
Qui tua fruitur domo:
Sæcla nanque per omnia
Debitas tibi concinet
Ore, cordeque laudes.
In Dei superis mei
Ædibus cupio infimus

Negligi,

Negligi, magis ardua
Quàm tenere palatia,
Quæ colit vir iniquus.
Vnam & expetis à Deo,
Hanc requiris ab intimo
Pectore, omnia sæcula
Vt domus habites tui, &
Celsa templa Tonantis.
Plura quid referam modò?
Tu velut lapis Indicus,
Magnesue ætheris, æthere ex
Intimo omnia retrahis
Pura corda sub æthram.
Nanque dum tua carmina
Concinuntur, ad aëra
Candidas animas trahunt.
Quæ velut gemina incitæ
Ala, ad æthera scandunt.
Sicq; sydereos facis
Exuens homines humum;
Inter & statuens Deos
Larga pocula nectaris
Porgis, Ambrosiæque.
Rector optime, qui modò
Laurea astrifera micans,
Increpansque sacram lyram
Inter ætherios choros,
Magna numina mulces:

Cynthiam velut auream
Inclytam, atq; Dei param
Virginem; atq; vt Apollinem,
Siue Iustitiæ iubar
Filium canis almum.
Inter agmina cælitum
Dum ipse regifica emicas
Purpura, oreq; splendido,
Inter vt nitet aureo
Ore Lucifer astra.

CALLIOPE.



T modò purpureis suras euincta cothurnis
Pulchra voce canens, autorq; poëseos ipsa
Vltima, clare, tuum, vates, laudabo poema.
Illud quot varient pulchræ, exornentq; figuræ,
Quot pingant, radientq; poëtica lumina, monstrans.
Quis nam te melius quid comparat? ille beatus
Vir, qui peccantum non est scelerata sequutus
Consilia, ast eius diuina in lege uoluntas,
Quàm benè confertur ligno, quod propter aquarum
Labentes riuos æterna fronde virescit,
Atque suos certo dulces dat tempore fructus?
Florenti vt iustum Palmæ, ramisque minanti
In cælum Cedro, Libanus quam proximus astris
Nutrit, Palmiferæ confers tu rector Idumes?
Vtque tuam tua Musa animam benè comparat illi

Ceruo,

Ceruo, qui ad vitreos sitiens desyderat amnes?
Quis nam vnquam brutis sensum te gratior indit,
Illa animata velut compellans carmine læto?
Cum sicco rubras pede gens Hebræa per vndas
Transiret fugiens Aegyptia barbara regna,
Purpureum fugit mare, Jordanisq; retrorsum
Conuersus stetit, & uiridi tunc vertice montes
Lanigeri gregis vt ductores, atq; mariti
Exultauerunt; trepidoq; cacumine colles
Gramine ludentes teneri exultastis vt agni.
Quis circumuè loquens propriis, dignisq; Tonantem
Nominibus ceu tu, vocat? atq; altissimus, atq;
Iam Rex virtutum, & Dominus tibi dicitur ille,
Nunc maiestatis Deus est: nunc vltio iusta,
Nunc in eo superans melior clementia fulget.
Clarius vt reddant, admirandumq; poëma,
Numina sæpè solent miscere loquentia vates.
At tu sepè Deum fantem tibi maxima verè
Inducis, rigidum aut mortalia corda monentem.
O præclare Dei præco, tubicenq; canore.
Seu grauido eructas geniale è pectore carmen
Quo quasi regnatrix in versicoloribus ardens
Vestibus, & pallis auratis aurea sponso
Præ natis hominum specioso, oleoq; peruncto
Lætitiæ, & cuius roseis diffusa labellis
Gratia ridet ouans, priscos oblita parentes
Iungitur altithrono gaudens Ecclesia CHRISTO.
Siue hunc victorem scandentem sydera cantas

Cum

Cum pompa ingenti, læto & clangore tubarum:
Vtq; omnes gentes dent tanta ad gaudia plausus!
Aut afferre Deo mortales feruidus agnos,
Terque, quaterque monens dictis hortaris amicis;
Floridior non te, non est te lætior alter.
At cum passuri Domini tormenta, genusque
Mortis, & opprobria, & tristissima pocula fellis:
Aut solymæ excidium gentis, vrbisq; ruinas
Entheus, & plorans tragico baccharis hiatu;
Aeschylus inflatos tibi, Rex, grandesque cothurnos
Donat, & ipse suos nitidos, pictosque Sophocles.
Siue tuæ cantas animæ flagrantis amorem,
Non formosum ardens puerum, pulchramuè puellam,
Ast illum arcano qui copulat omnia amore;
Eripiens cunctis primas Elegeia palmas
Dat tibi, & Vmber amans cedit, Cousq; Philetas.
Internos animi non te præstantius alter
Exprimit affectus, alacer seu gaudia narras:
Crimina seu luges, venturaq; tristia pandis.
Quinetiam tecum nos & plorare, simulq;
Exultare facis, tanta est vis insita verbis.
Quis lachrymas teneat? quis non suspiria fundat?
Flebile cum recitas carmen, quo crimina fassus,
Illorum, à Domino mæstusq;, humilisque precaris
Tu veniam, largis humectans fletibus ora?
Vel quo diuino correptus numine ploras
Aduentasse hostes, & circum mœnia sanctæ
Vrbis, sanctorum riuos fudisse cruoris

Hosce Feris dantes lacerandos, alitibusq;:
Arceque disiecta templum temerasse superbum?
At contrà quis non exultans gestit ab imo
Pectore, & extollit gaudens ad sydera vocem?
Cum versus cantat, Domini quibus ipse triumphos,
Regressumq; Erebi fracti è pallentibus vmbris,
Ascensumq; canis cœli super aurea claustra?
Vel quibus vt laudent Diuùmq;, hominùmq; parentem,
Vtque dies statuant festos, & templa coronent
Hortaris populos, mactentq;, vrantque bidentes?
Seu post ærumnas, exanclatosque labores,
Postque impetratam veniam pius ipse Tonanti
Aeternas memori persoluis pectore grates?
Nec genera illa tria excelsum, & mediocre canendi
Atque humile, æternis his non cernuntur in odis.
Excelsum tu nempè tonas, cum talibus infis:
Alme meæ uires, superùm, te, Rector, amabo.
At mediocre canis, populi cùm facta recenses
Hebræi, atque illum propter memoranda Tonantis
Prodigia enumeras, benefactaque carmine stringis.
Verùm tunc gracili, àc tenui modularis auena:
Commissi sceleris cum iam pertæsus ab imo
Corde, Mei miserere Deus, pater optime, clamas.
Si prodesse volunt, & delectare poëtæ;
Quis nam te nostris animis, & mentibus ægris
Pro fuit? aut prodest magis? hymnis aurea cunctis
Qui dicta, ut gemmas interseris, è quibus omnes
Præcepta accipiunt vitæ, rectamque salutis

Angustamq; viam discunt, quæ ad sydera ducit?
Qus te delectat magis, aut dum consulis orbi
Vt Dominum laudent, cytharasq;, & cymbala tendant,
Vtq; tubas, lituosq inflent, ac tympana pulsent?
Carmina seu promis varijs contexta figuris:
Seu totum per opus delecta, àc florida verba,
Lilia, ceu, rubrasque Rosas aspergis abundè?
Siue Deo plenus, raptusque ad sydera maior
Sic ventura canis, repræsentasque legenti;
Vt sibi tunc proprijs oculis videatur obire?
Quin etiam tanta uincis dulcedine sensus,
Audeat ut nullus tibi se conferre poeta
Qui magis oblectat; non princeps ille Latinùm
Excultus, grandisque Maro; non Appullus ille
Qui Graiis primus cytharam furatus ab oris
Romanas tenuit numerosus Horatius aures.
Non Romanus eques dulcissimus ille Tibullus;
Non Dux Græcorum uatum, & regnator Homerus,
Ebria non dulcisque simul lætissima Musa
Teia; non ardens numeris, & florida Sappho:
Non mea progenies tandem, quæ carmine syluas,
Auritasque feras duxit, fluuiosque morata est.
Cuius pulsatæ cytharæ, fidibusque canoris
Fractus submisit blandè tria Cerberus ora.
Vxoremque dedit Pluto miseratus amantem,
Nec solitis manes pœnis exercuit Orcus.
Nec tantum pulchro uerborum in cortice fulget,
Maior at arcanis latet oblectatio sensis.

Cortice

Cortice nam veluti rubro pulcherrima visum
Punica mala iuuant, at si rumpantur, apertis,
Mansisque exhilarant gemmis rutilantibus ora.
Atque vt vere nouo depictum floribus aruum
Lumina delectat varijs violisque, Rosisque;
At magis olfactum fragranti mulcet odore.
Non aliter quamuis varij tu carminis aures
Lætificas sonitu, magis attamen intima pulsas
Pectora, & admissus circum præcordia ferues:
Dum tua sublimes meditantur carmina mentes.
Et meritò; nam qui tibi talia spiritus almus
Carmina dictauit, resonant dum pectore puro,
Cantantum arcana mentes dulcedine complet.
Vtque ardens Bromius, conceptus inebriat, vnde
Protinus ex oculis lachrymarum dulcia manant
Flumina, culparum nigras tergentia sordes.
    Sed quid tàm sacrum, doctum, & cæleste poema,
Illius & vires, sensusque enitar, & artem
Laudibus amplecti? non Diuûm cantor Apollo,
Non nos sufficimus pariter, Rex magne, sorores.
Non si quot nutrit frondes Parnassia Laurus
In totidem linguas, vocesque, & plectra, lyrasque
Vertantur, laudare satis tua carmina possent;
Carmina per cælos, omnesque sonantia terras.
Quorum formoso quanti sub cortice sensus,
Quot nostræ lateant mysteria magna salutis.
Testes Doctores Graij, testesque Latini,
Talia qui magno reserant, panduntque labore;

Ac veluti claues tot commentaria tradunt.
Quare agite ò castæ, doctæque, almæque sorores,
Excelsis Palmis, quas proxima gignit Idume:
Nec non è Lauro, sacra quæ fronde uirescens
Per iuga Parnasi semper pulcherrima surgit;
Atque ab odoriferis Myrthis, quas lambit Orontes,
Et quas Eurotæ Spartani flumina pingunt.
Carpite nunc ramos certatim, carpite frondes.
Huicque Poetarum Domino, regiq; coronam
Texite, nectentes hedera, flauisq; corymbis.
Huic pictas violas, huic candida Lilia ferte;
Ferte Rosas; florum calathis hunc spargite plenis.
Frondibus at non his, non floribus his opus, ò Rex.
Nam modò stelliferi spatianti in culmine cæli
E claris, lectisq; astris contexta corona
Iam tibi ceu merito radiantia tempora cingit.
Et cythara intentos mulcentem, & carmine Diuos
Floribus æthereis aspergunt undique læti
Virginei, vatumq; chori; tum laudibus omnes
Te simul extollunt vatemq;, atauumq; Tonantis.

FINIS.



MVTII SFORTIÆ

CARMINVM SACRORVM LIBER PRIMVS.

AD ILLVST.^MVM, ET REVEREN.^MVM, F. MICHAELEM BONELLVM S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM.

ODE. I.



O SACRAE, MICHAEL, gloria Curiæ,
O Spes Pieridum, noſtraque, Maximi
Quinti digne PII Pontificis nepos;
Sunt quos altiſono carmine prælia
Heroum, celebres ſiue cupidines
Decantaſſe iuuat. bella pedeſtribus
Seu facta Hiſtoriis inclyta Principum
Enarrant alii, uiſa, vel auribus

Accepta hi referunt ordine tempora.
Ut vulgo placeant, condere fabulas
Ingens turba studet. siue Tragœdias
Componunt tumidis versibus arduas.
Explanant alii iura, voluminum
Ingenti numero. candidioribus
Hiis triplex sophia disseritur libris.
At plura ingenia aut pharmaca condere:
Morbos siue graues texere; graminum
Seu vires medicas pandere non piget.
Tot motus varios carmine syderum
Non nulli memorant. hii iuuenilibus
Perculsi tenerum pectus amoribus,
Romanis Elegis, seu potius modis
Ethruscis Dominæ vulnera detegunt;
Illamq; ad superos laudibus efferunt.
Magna illi breuibus oppida paginis
Includunt. alii ducere lineas
Scriptis; aut numeros flectere musicos:
Seu curare greges; pangereq; arbores:
Dicendiuè modos latius edocent.
Ipse autem, veluti Rex pius ad lyram
Qui Regi superùm mystica carmina
Sed plenus cecinit flamine cælitus;
Enitor syricis versibus hunc quoq;
Exaltare, canunt quem super æthera
Circum cælicolæ: quemq; opera omnia
Jllius manuum maxima prædicant.

AD

AD EVNDEM ILLVST. ET REVER. CARDINALEM ALEXANDRINVM.

MVM, MVM,

ILLVST. ET REVER.

CARDINALEM

ALEXANDRINVM.

ODE. II.



VM tibi chordas ferio canoras
Lesbio plectro, MICHAEL, obaudi
Quas Amor laudes tibi, quodque mandat
Promere carmen.

Ingeni sed vim, facilemque venam
Ipse virtutum numerus tuarum
Turbat; heu quas nam: magis hanc, an illam
Ordiar anceps?

Indolem dicam? manifesta cuius
Signa vt aspexit patruus, paremq;
Arduis rebus, vocat, extrahitq; ad
Lumina Solis?

Et sacram frontem decorat superba
Purpura, canos sibi quæ verendos
Texerat, sed mox triplici Tiaræ
Cesserat ardens:

An canam prudens, vigilansq; pectus?
Nanque dum fessus recreatur ille,

Imperi

Imperi & molem, ex humerisq; pondus
Excutit altum;
Qualis ardentes, rutilosque stellis
Substinens axes, sub eis anhelans
Herculis cælos humeris ferendos
Tradidit Atlas;
Ipse ut Alcides onus, atque rerum
Arduos fasces subis acer, & par;
Atque Romanas moderaris altus
Rector habenas.
Explicem quantum valeas loquendo?
Vtque cum Pastor bonus excitaret,
Ille Regnantes Geticos in hostes
Thraciaque arma;
Munus ad tantum vocet, eligatque
Te, nimis prudens, resideseq; fando,
Dulcè qui inflammes animos, & alta
Pectora Regum?
Vtque legatus, referensque magnum
Patruum, magnas properes ad oras
Magnus Orator, simul intonansque
Magna Tyrannis?
Talis æterno Ioue natus, atque
Aliger Maia genitus, per auras
Fert Deùm interpres patris hùc & illùc
Iußa Tonantis.
Tendis ad Gallos, superas & Alpes;
Et Patris mentem prius explicantem

Audiit te Rex, veritusq; pendens
Gallus ab ore est.
Iamque persuasus sacra præparabat
Arma in Eoos, nisi dura Fati
Vis PIVM nobis rapuisset, augens
Numine Diuos.
Inde Pyrenes iuga celsa transis,
Visis Hispanos, adis atque Regem
Iustior quo, nec pietate maior,
Non viget alter.
Calchar & subdens, magis uris œstro
Pectus; ille ardens fremit arma, & armis
Dorso ab Europæ meditatur omnes
Pellere Turcas.
Vtque regnorum tot, opumque diues
Munus immensum tibi largus offert,
Redderetque auri tibi quod talenta
Plura quotannis.
Ipse sed spectans oculo irretorto
Auri, & argenti rutilos aceruos,
Respuis, Crœsus velut alter esses,
Munera tanta.
Quis tuam dignè modo charitatem,
Publica vt spectet bona, cantet? aut qua
Illo in excelso uigeas senatu
Dexteritate?
Nanq; ubi scandit PIVS almus astra,
Præside & Mundus titubaret orbus,

Tu tuos tecum rapiens sodales
Numine plenus,
Eligis qui nunc moderatur orbem,
Quique succeßor foret æquus illi:
Haud moras nectens, geminæ sed intra
Tempora lucis.
Quippè feruebat sacer apparatus
Belli in Eoos, trepidosq; Turcas,
Et caput summum sibi postulabant
Agmina tanta.
Iam tuos sanctos, niueosque mores,
Meq; doctrinas varias canentem,
Ipse queis olim puer imbuisti
Pectoris arcem;
Litteris & quod faueas amicus;
Quodq; Mecænas velut alter, illas
Excites donis, meritisq; digna
Præmia figas;
Casta quæ virgo est vetuit Camœna
Nostra Lesbois fidibus sonare:
Neue adulatrix videatur, aut fors
Garrula valdè.

AD EVNDEM ALEXAND. CARDIN. ODE. III.


ISPONANT alij fumosas atria circum

Atauûm, patrumq; imagines.

Huius & illius vestigia clara sequentes,

Ad facta anhelent inclyta.

At non te, MICHAEL, decet inspectare tot alta,

Et laureata stemmata.

Vna tibi antè oculos si proponatur imago,

Ceu mille claræ imagines

Te stimulare potest. huius, siue illius optas

Mundi micantem gloriam.

Si PIVS ante oculos tibi semper auunculus astat,

Auremq; viuens vellicat;

Ad virtutis iter, ad præclarissima facta

Te suscitabit impigrum.

Hoc duce vel solium poteris superare supremum,

Optant quod omnes scandere.

Jlle tibi fulgens Helice, Cynosura sit ille.

Fidissimo hoc tu sydere,

Emenso hoc pelago, cælestem denique portum

Prendes, solum viuentium.

Sed tibi currenti quid calchar subdo? magisq;,

Magisq; anhelum concito?

Huius ad exemplum si te componis, & huius
Sectans premis vestigia?
Fama etenim certè talem te prædicat orbi,
Bonis fauentem litteris,
Pimpleisq; sacris; doctum, castumq;, grauemq;:
Quid plura? quod ceu nominis,
Virtutum, MICHAEL, patrui sis nobilis hæres;
PII & nepos haud deneger.

AD PIVM V. PONTIF. MAXIMVM QVI ANTEA MICHAEL DICEBATVR.

ODE. IIII.



VALIS è celso Michael Olympo
Expulit victor Stygium Draconem,
Qui ruens, cauda rutilante, multa
Sydera traxit.
Talis è regno, Michael, aquarum
Magne, serpentem pepulisti Eoum,
Qui diu infestum rabidis colubris
Fecerat æquor.
Vt tremit nomen Michaelis Orcus
Et nigri manes, Erebiq; turmæ.

Illius si fors radians imago
Terruit umbras.
Sic tuum nomen tremit Othomanus
Pontifex summe ò MICHAEL, *Getæq;,*
Ac pauent, ne tu, velut ille primus
Cælicolum Dux
Tartaro sontes acies reuinxit:
Caspijs claustris ita rursus ipsos
Vincias, pellens Orientis omni
Victor ab ora.

IN NATALI DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

ODE. V.



VIVS aurata cythara verendum
Nunc Deæ partum celebrare, Cliò,
Dulci, & intacto mihi, sed decenti
Carmine sumam?
Nunquid infami ut Ioue Creta *nato*
Ex Ope, impulso Corybantis ære
Horruit, ficto ubera vel capellæ ad-
mota Tonanti?
Aut ut armata, & quatiens rigentem
Hastam, & horrendum clypeum minaci
Dextra, & obtutu, exiluit paterno è
Vertice Pallas;

Cum Iouis nutu radians ab altis
Nudibus fuluis, rutilante gutta
Decidens claram Rhodon irrigauit
Aureus imber?
Aut vt excußus Bromius parentis
Fulmine exustæ tremebundus aluo,
Patris insutus femori, hinc recentes
Hauserit auras?
An vago ut Delus agitata ponto,
Hæserit vinclo scopulis tenaci,
Bina Latona pariente nigro
Lumina mundo?
An quoque vt partu mage fabuloso
Filiam pulchram, Oebaliosq; fratres
Tyndari coniux gemino calenti
Extudit oo?
Non: sed vt magnus Deus, omniumq;
Conditor verus, sapiensque rector,
Patris æterni soboles perennis,
Sydera torquens
Perditum nostrum genus, vt superna ad
Astra iam victor traheret, recluso
Cœlo, & effractis Erebi catenis,
Funderet Orcum,
Prodiit, stellas tamen haud relinquens,
Subditus morti, patiens dolorum,
E sacra intactæ, nitidæ, atque castæ
Virginis aluo.

Texerant montes gelidæ pruinæ,
Cœperat Titan tepidis aquosi
Frigidum cornu radiis obire
Aegocerotis.
Atque erat te tempus, volucres, feræque
Quo silent, & Nox tacitas agebat
Aureas bigas, mediumque iam pulsabat Olympum.
Cùm Bethlemiti recubans in antro
Mensibus partus, pia virgo, plenis,
Et seni tantùm comitata casto
Numen adorans,
Testibus signis, tacitis & astris,
Teste Natura attonita, & stupente,
Pondus, illæso niueo pudore,
Edidit almum.
Tùm specu in toto subitò refulsit
Mira lux flammis tremulis oberrans,
Quæ suo furuam pepulit micanti
Lumine noctem.
Tunc & auditus chorus Angelorum
Aureis plectris noua personantum
Dulciter magno puero, suoq;
Carmina Regi.
Ipsa sed tanto genitrix honore
Gestit, infantem fouet, alligatq;
Vilibus pannis, roseasq; mammas
Admouet ori.

Nocte non illa, rubefactus, ex quo,
Protulit lucem veniens ab ortu
Phœbus, illuxit rutilo nitore
Clarior orbi
Lux, vel optatum iubar, aut serenus
Fulgor. hanc claris numeraſse gemmis
Fertur, hanc albo quoq; condidiſſe
Vellere Parcas.
Hac enim vernans Zephyro tepenti
Fota, Narciſſos, violas, Roſasq;
Grata ſubmiſit domino cadenti
Dædala tellus.
Hac & hybernis quatiere nullas
Flatibus ſyluas Boreæ, Notique.
Hac & vndoſi placidè quierunt
Aequora ponti.
Vlla nec nubes maculis, notiſuè
Aëra infecit liquidè nitentem;
Plus at in toto, ſolitò, micarunt
Sydera cælo.
Nectare, & Melle, Ambroſiæq; nimbis
Floridos campos, virides & herbas
Leniter cælos pluuiis rigaſſe
Fertur odoris.
Tuque Regem paciferum, piumq;
Teſtis aduentaſſe, ruens profundo,
Vortices plenos oleo rotaſti
Flumine, Tybris.

Hac

Hac & alati placido ministri
Ore, mortali cecinère pacem,
Qui Deo dudum fuerat rebellis
Crimine primo.

Quem nec in lectis tumidis supini
Ocio, & somno, & Bromio sepulti
Esse nos propter potuère natum
Noscere Reges.

Nec reuelauit Deus his diu qui
Paginas versant, pariterque noctu:
Qui nihil credunt, nisi quod creatur
Ordine rerum.

Hac & insomnes, vigiles, piiq;
Corde Pastores monitu Deorum,
Luminis clari radiante & illos
Lampade circum.

Simplices, primique hominum beati;
Creduli cernunt, humilesq; adorant,
Nuntiant, tangunt, pauidiq; agresti
Munere donant.

Hac vt astrorum dominum iacentem
Fœno adorarunt piger hinc Asellus,
Taurus hinc, artus teneros anhelo
Ore fouentes.

Hac & excelsum quatiens Olympum,
Filium tradens, hominiq; amicus
Factus, obstructi reserauit alta
Limina cæli.

Hac

Hac diu mundo tenebris opaco
Sol ab unius gremio puellæ
Verus affulsit, superisque flammis
Omnia lustrans.

Te per hanc, ergo, celebrem, sacramq;,
Lucidam noctem, roseam, beatam,
Te rogo in terris sine Patre natum
Conditor orbis.

Nunc Dei dextræ patris assidens, qui
Gloriæ æternæ decus, atq; splendor,
Syderum cursus rapidos gubernas
Virque, Deusque:

Ast ea charæ genitricis almo
In sinu exceptus, niueum bibisti
Lac ab intactis, roseisq; mammis
Blandior infans,

Vt meo cùm mors capiti imminebit,
Spiritus victor penetrare possit
Ad tuas sedes, adaperta nactus
Claustra polorum.

Quà dies plenis radiis coruscat,
Lux vbi æterna, & sine nocte semper
Te suum Solem tua clara Diui
Sydera norunt.



IN

IN D. IOANNEM APOSTOL. ET EVANGEL.

ODE. VI.


OANNES superi seu decus ætheris
Te claustris rutilis sydera detinent,
Exutum fragilis corporis artubus;
Seu, fama vt potior, floribus Hortuli
Terrestris caperis, iuribus integer,
Cum canis socijs Henoch, & Helia.
Hùc aduerte animum, dirige lumina,
Hùc intende tuas ad mea carmina
Aures, dulcisonas dum tibi fundimus
Immixtas meritis laudibus & preces.
Aeterno genito sanguine proximus
Cum sis, multiplici & lumine fulgeas
Virtutum, varijs distrahor anxius
Curis, quid prius, àc ex quibus, ordiar.
Siccantem bibulo retia littore
Te, cum fratre sequi se iubet ocyus
Piscatorem hominum pollicitus fore
Te, magnus liquidi conditor æquoris.
Hinc eius lateri perpetuus comes
Hæres, virgineis moribus, & pio
Ac miti ingenio gratus, & obsequens,
Hinc arcana aperit penè tibi omnia.
Nam cum perspicuam montis in ardui

Sacro, atque aerio vertice gloriam
Demonstrare suam vellet, vt altior,
Cum fratre, atq; Petro te simul accipit.
Atque illic facies eius vt aureis
Effulxit radijs splendida, lampadem
Phœbæam superans, vestis & albicans
Vidisti vt fuerit candidior niue.
Illic legiferum Mosen, & inclytum
Pellitumq; senem curribus igneis
Qui cœlum petiit, eius at impia
Fantes cum Domino de Cruce, morteq;.
Ac cœlo è nitido, nubeq; lucida
Audisti pauidus, stratus, & horridus
Testantis sobolem, grandisonam Patris
Vocem cum tonitru, Filius hic meus.
Cumq; iisdem comitem ducit in hortulum
Te post floricomum, tristis & anxius
Cùm Patrem rogitans tolleret vt Crucem
Sudanti irrubuit sanguine roscidus.
Hùc, illucq; aliis diffugientibus
Cum iam Rex superùm captus ab inuidis
Sæuisq; Isacidis pessimus vt latro
Esset, verberibus saucius insuper:
Vt rupes pelagi fluctibus obuia,
Quæ latrent rabidi hinc, hinc licet æquoris
Vndæ, mole sua se tenet, & fremunt
Ne quicquam Boreas, àc Notus humidus.
Sic solus stabilis, nec piger aspero

Tu

Tu mortis Domini tempore nubilo
Persistis, nec eum per loca deseris,
Cum matre at sequeris sæua per agmina.
Quare cum vacuo celsus in aère
Staret, sydereas cum pedibus manus
Affixus rigido vulnere, ferreis
Clauis, atque caput sentibus obsitus.
Te iuxtaque crucem cerneret, & suam
Heu matrem miseram candida lachrymis
Præ largis madidam pectora, & aurea
Pulsantem calidis sydera questibus:
In matrem meritò tum tibi tradidit
Illam, per placide at fatus, & inuicem
Illi te in sobolem, talibus alloquens
Hanc verbis, Mulier, Filius en tuus.
Nanque eius fuerat nullus amantior
Ipso te, obsequiis atq; fidelior,
Corde & virgineo purior, omnibus
In terris, neque te denique sanctior.
Felicem nimium, cui Domini parens
Hæredi veluti propria contigit
Mater, à genito è virgine, virgini
Nato, virgo data est ut Rosa Lilio.
Inde illam accipiens impiger in tuam,
Assistis, sequeris, ducis, & omnibus
Curas officiis, spiritus illius
Arcem dum tenuit pectoris innocens.
At postquam remeans victor ab hostibus

Infernis, petiit fulgidus æthera,
Et patrum referens agmina fortior
Surrexit, radians lumine gloriæ;
Tu primus properans curris, & inuenis
Reclusum tumulum, tuncq; ibi lineas
Vestes depositas, quare & ab Inferis
Surrexisse Deum credis, & approbas.
Ad dextram omnipotens ast vbi filius
Sedit terrisoni patris, & vndique
Abs te sparsa Asia est semine fertili
Ducentis fidei ad claustra micantia:
Quæ quondam querulo tempore, & in sacra
Cœna, atque in Domini pectore verticem
Acclinans, nitidis è sapientiæ
Diuinæ sitiens fontibus hauseras;
Eructas, veluti flumen ab alueo
Quod feruens rapido gurgite proruit:
Ac celsa exuperans vt Iouis armiger
Alis penniferis nubila, & aëra:
Immotaq; acie lumina lumini
Affigens rutilo flammiuomæ Rotæ;
Sic mentes hominum sensibus arduis
Excedens, penetras ad iubar intimum.
Vtque in principio Patre erat, intonas,
Verbum progenies, quod pauet audiens,
Verbis grandisonis mundus, & intremit,
Et si non capiat, credit, & accinit:
Ergo cum sapiens, illeq; plurimum

Dilectus Domino Solis, & ætheris
Tu sis discipulus, cumque tot eminens
Iuxta illum meritis præualeas piis.
Natum sydereo numine sub tuo
Me totoq; tibi pectore deditum
Tu lustra, atque foue, duc, rege, dirige;
Ipso nanque die, quo litus emicas
Feruenti ex oleo nudus, & integer,
Luci ipse ex vtero vagio redditus.
Quare vt tu veluti fortis, & inclytus
Athletes ualido robore prosilis
Ex illo: facias, sic, precor, egredi
Me, cum tempus erit, corporis artubus
Ex huius, variis quod modò fluctibus,
Igne & luxuriæ fertur, & æstuat.
Vt castus nitidum te sequar euolans,
Ac lucens repetam lucida sydera.

IN DIE CIRCVNCISIONIS DOMINICAE

ODE. VII.


STIS nè auspiciis dies
Primos ingrederis, blandaque limina
Vitæ adhuc teneræ tuæ?
Anni principium sic celebras noui,
O summi Patris inclyta
Proles, cui maria, & lucida sydera,

Aër,

Aër, terráque & omnia
Parent, ò columen, nostráq; gloria?
Vix solis iubar octies
Exortum fuerat luminibus tuis,
Et fundis puer eiulans
Artus candidulos vulnere saucius
De more heu graue sanguinem;
Vita ipsáq; tuis charius accipis
Saluatoris amabile
Nomen, cui omne genu flectitur intremens.
Isto quod pretio velut
Nos rapturus eras scilicet horridi
Ex Orci ingluuie effera;
Ducturus superos & simul ad thronos.
Quæ clementia te, Deus,
Quæ vicit pietas, tantáq; charitas,
Vt uelles toties tuo
Pro nobis niueo è corpore sanguinem
Totum denique fundere?
Nam ferri hìc aciem sanguine purpuras
Tù primum, & lachrymis patrem
Secreto àc uiridi clausus in hortulo
Orans mortis vt asperæ
Transferret rigidum, tristéq; poculum,
Guttis sanguineis humum
Sudoris fluidi languidus irrigas?
Hinc post terga manus trabi
Vinctus marmoreæ, strictáq; brachia

Fla-

Flagris milite ab impio
Cæsus, vulnifica & verbera perferens,
Artus mitis eburneos
Stillis purpureis spargis, & inficis:
Nec non vertice de sacro,
Cuius terribili tu supera agmina
Nutu, cærulaque æquora,
Et terras pauidas, astraque concutis;
Transfixo ad cerebrum intimum
Usq; ex implicitis sentibus horridis
Rores sanguinei ad pedes
Manarunt oculos, ora per & comas.
Inde in cæliferam crucem
Sublatus, rigido vulnere, ferreis
Clauis cum pedibus manus
Traiectus niueas, quatuor asperis
E plagis radiantibus
Tres fundis roseos, Rex bone, riuulos.
Et tandem exanimis latus
Confossus rutila cuspide lanceæ,
Vdo emittis, hianteque
Ex corde, è madida ut rupe, uel è specu
Dudum fatus id antea,
Lymphæ purpureæ mystica flumina.
Salue ò uictima, & hostia
Pro me facte, Deus, conditor omnium,
Ara qui in Crucis ardua
Summo sponte Patri te semel immolans,

Ele-

Electum populum abluis
Aeternum scelerum sordibus omnium;
Mundans non cinere, aut aqua,
Aut Hirci, aut vituli sanguine, sed tuo:
Salue, ò candidior niue
Agne, orbis maculas, criminaq; auferens:
Nam nos è graue olentibus
Tot sacrificiis, totq; animantium
Sæuis cædibus eripis.
E collóq; iugum detrahis asperum,
Quod vix fessaq;, anhelaque
Olim Hebræa tulit perfida seruitus.
Nobis denique quod Deum
Mundi ex principio crimen ob vniu.
Iratum, in Crue mortuus
Placaris proprio sanguine, cædeque.
Quare ò summeque Pontifex,
Atque idem niuea, & candida uictima,
Multa cum prece te rogo
Per sacrum superum sic placitum Deo,
Aspergas, pie guttula
Me totum rutili sanguinis ebria;
Tandem tersus ab omnibus
Culparum ut maculis, purus, & integer,
Iamque hic Angelus aureas
Alas concutiens; arduus euolem
Aedes vrbis ad illius
Excelsæ intidas, tectaque gemmea,

Cuius lumina cernere,
Intrare aut poterit nil, nisi fulgidum.

IN EPIPHANIA DOMINI
ODE. VIII.



VOD iubar Eoo tremulis ex orbe refulget
Insolitum radijs, & apertum
Per cœlum tantas effundit vertice flammas
Aurato? neq; lumine cedens
In tenebris Phœbe, plenos cum colligit ignes
Fraternos; neq; luce rubenti
Soli, cum uictor medij iam culmen Olympi
Scandit, equis ac instat anhelis?
Quò pergunt turma molli, densáq; Sabæi?
Quò ve Arabes simul agmina iungunt;
Quò sic læti equites tendunt, celeresq; Cameli
Tot glacie sola lubrica currunt?
Quò Regnatores sceptris, rutilisq; Tiaris
Insignes, ostroq; decori
Festini properant, cui totq; ingentia Regi
Dona ferunt, noua regna petentes?
Numine quo freti sic huius certa secuti
Syderea sunt lumina flammæ
Prænia? Quid mirum patitur Natura, stupetq;?
Stella stetit, radiosq; sub antrum

Defixit Bethlemite viæ, tantiq; laboris
Iam causas agnosco, proboq;.
Vagitus nam, CHRISTE, tuos procul audio, & almos
Cælicolùm cantusq;, chorosq;.
Felicem rupem idcircò super astitit, atq;
Felices Regesuè, Magosue
His visum est verbis, taliq; affarier ore
Sydus: vos ò sistite cursum;
Hic vobis, hìc meta viæ est, hìc conditor orbis
Factus homo, in fæno iacet infans.
Lætus iò, stantes iam cerno, iamq; relictis
Defluxisse ab equis, humilesq;
Et venerabundos sanctum, sacrumq; subire
Antrum, cum sceptrisq; coronas
Proijcere ante pedes nudato vertice, Rector
Magne, tuos, propriisq; reclusis
Thesauris, tibi Myrrham, aurumq; & mascula thura
Mortali, Regiq; Deoq;
Offerre; authoremq; Poli, telluris, & vndæ
Prostratos, gestuq; fateri.
Osculaq; attonitos defigere dulcia plantis,
Vixq; oculos explere tuendo.
Aspicio iamq; alma parens, niuea ora rigantes
Vix lacrymas te sistere posse,
Quas effundebant tentantia gaudia pectus,
Per lætos oculosque genasque;
Virgineo cum amplexa sinu sine semine natum,
Et tanti tibi conscia partus,

Pro-

Proſtratos Reges ignoto ex orbe, trementes
Ante illum, & pia numina faſſos,
Noſcenteſque Deum, tria myſtica numera ferre
Aſpiceres, teque inter honores.
Teque, beate ſenex, cerno, vix membra regentem,
Attonitum, ſimilemque ſtupenti.
Iamque ſpecum totum video ſplendeſcere clara
Barbarica gaza, atque ſuperbo
Regifico luxu, fuluique ardore metalli,
Et gemmis, nitidiſque Pyropis.
Et ſuaui fumo repleri; pinguia nanque
Thura focis, coſtumque cremari
Sentio, quæ blanda caligine ſydera lambunt,
Et ſpargunt ſimul vndique odores.
Jte modò, & cæco, duroque hunc corde negate
Eſſe Deum, veſtraſque nefandas
Aras, illorum roſeo fœdate cruore
Illius qui nunem adorant.
O vos, qui preſſa iam re, lapſaq; latina
Immenſas, orbique tremendas
Romani imperii quondam rexiſtis habenas
Sanguinei, ſæuique Tyranni.
Et Maia, gelido Cyllenes vertice, natum
Arcada, ſtelliferiq; nepotem
Atlantis, veſtros inter numerate profanos
Fictoſque, impia numina, Diuos.
Quod uix ex vtero matris proiectus in auras
Aethereas, armenta, boueſque

Latoi fuerit prædatus Apollinis, & quod
Vocalis testudinis vsum
Infans reppererit: cytharam, neruosque canoros
Virgineo tùm pollice tendens.
Postque tot ærumnas, exanclatosque labores
Absumptoque alti ignibus Oethæ
Amphitryoniadæ totum iam pandite cœlum;
Et iuuenis, semperq; uirentis
Hebes connubium optatum, dulcesq; Hymenæos
Addite, pacatamque nouercam.
In cunis quod adhuc geminos, immania monstra,
Illi odio Iunonis iniquæ
Missa, premens manibus teneris, eliserit angues
Intrepido ridens puer ore.
Insequere, Hebrææ, hunc, dirisque, incredule, dictis
Aeternum, prolemque Tonantis
Esse nega; palmis hunc cæde, hunc tunde flagellis,
Duro affige hunc denique ligno.
Et Mosen lauda, Mosenque ad sydera tolle;
Infans quod clausus in arca
Fluminis ad ripam, uobis sit numine Diuùm
Seruatus, gremioque puellæ
Regali exceptus Phariæ, hìc edoctus, & altus,
Signis per tot in hospita duxit
Vos loca mirandis: Quod credo, nec improbo, sed cur
Concelebras seruumque, hominemq;
Atque hunc non credens, laceras, & stipite tollis
Cunctorum dominumque, Deumq;?

Si vos nil tangunt tot mira, excelsaq; facta,
Quæ vir firma ætate peregit.
Non ægris robur, non reddita lumina cæcis,
Non Acheloia pocula rubrum
Mutata in Bacchum: non perdomitæq; procellæ
Ventorum; non æquora ponti
Strata eius nutu, non vita infusa sepultis;
Delapsæ nec ab æthere voces.
Aspicite at saltem prima incunabula; nanque
Ex his agnoscetis apertè
Esse Deum; nullo conceptum semine virgo
Infantem parit, atque papillis
E roseis fundit mirandi flumina lactis,
Qualis erat post, candida, partum
Virgo manens: resonant superas, tacitasq; per auras
Pacem ipsis mortalibus ægris
Agmina cœlicolùm; simul & Pastoribus almum
Natum esse, in fœnoq; iacere
Autorem cœli referunt; noua stella refulget,
Insolito noua lumine, cursu.
Ignoti Reges extremi Orientis ab oris
Aduentant, tria dona ferentes.
Scilicet immortale eius qui numen adorant,
Et credunt, certeq; fatentur:
Ut summos Reges rutila, æternaq; corona
Quod sit donaturus in illo
Claro, & perpetuo regno, quo maximus ipse
Rex Regum per sæcula regnat.

MVTII SFORTIÆ

IN PRIMO DIE QVADRAGESIMÆ

ODE. IX.



*AT Baccho, Venerique datum, ſatis & io
cis ſolutis,
Ventrique inerti, aque ebriis choreis.
Nunc contrà ſordentem animum decet omnis
ab reatus
Purgare labe, & crimine expolire.
Nam iam Chriſticolæ ieiunia ſacra nunc celebrant,
In fine quorum paſſus eſt IESVS.
Qua propter veluti tellus prius albicans pruinis,
Carens, rigebat, graminum decore.
At nunc, vt rediens Sol Arietis aureum, micanſque
Dorſum tepenti lumine eſt adortus:
Dudum conceptum humorem parit, explicansque veris
Opes odori: roſcida & virenti
Herba, purpureis & floribus vndique arua læta
Diſtinguit ornans, ſpirat ac odorem.
Montibus vt canis nunc liquitur humor, vnde curſu
Torrentiori flumina efferuntur.
Sic & nos glaciem ſub pectore iam diu gerentes
Torporis, altoque ex Deo remoti;
Cum ceu Sol iterum CHRISTVS micet inuocatus, atq;
Effundat ignes gratiæ ſupernæ:
Durum, aſprumque gelu frangamus, & ex vtroque riuos
Iam lacrymarum lumine extrahamus.*

Eque

Eque piis factis, vt floribus, offeramus inter-
Textam coronam cuncta temperanti.
Cui ceu thus incendamus placitos odores
Orationis, castimoniæque.
CHRISTO vt compassi simul, atque consepulti
Nostris delictis, illa deserentes
Et veterem deponentes hominem, indui queamus
Nouum, cum IESV & surgere emicantes.
Ceu coluber quem bruma rigens prius asperum tegebat
Terræ tepentis sub cauis latebris,
Exuuio veteri posito nouus, & nitens iuuenta,
Horrendà stridens erigit rubentes
Ad Solem cristas, atque herbas uiret inter, implicat que
Iam terga, linguis & micat trisulcis:
Quo maculis tersi sic omnibus, imminente lethi
Hora, sequentes præuium, ducemque
Ipsum, cum CHRISTO attollamur in ætheris penates
Aeternùm, & illic fulgidi imperemus.

IN GLORIOSA DOMINI ASCENSIONE.

ODE X.

POSTQVAM tenebras expulit inferas,
Victorque postes contudit æreos,
Accinctus immenso, & potenti,
Robore, luminibusque fulgens
Summi parentis filius, & iugo

Sub

Submisit hostem, collaq; ferreis
Vinxit reluctanti catenis,
E manibus rapuitque prædam.
Patrumq; ducens agmina tertia
Luce, atque opimis iam spolijs nitens
Apparuit verax amatis
Discipulis, miseræq; matri.
Quaterq; denis lucibus edocens,
Vescensq; cum illis mansit in asperis
Terris, vt illuc vnde dudum
Venerat, indomitus rediret.
Eduxit omnes denique ab inclyta
Vrbe, & quot in se crediderant prius
In consitum canis oliuis
Atque sacrum, celebremque montem.
Ac antè dicens nomine quæ in suo
Essent agenda iis, mira, nec amplius
Visa, & modum gignentis in se
Ordine præcipiens lauacri.
Qualis minister fulminis ignei
Ales, comanti ex arbore in aëra
Se tollit, atque expandit alas
Omnem aciem fugiens acutam
Talis micanti, nubeq; lucida
Inuectus, alto è vertice sydera,
Ac Regiam ascendit paternam
Se ex oculis rapiens eorum:
Qui ut signa stabant, sculptaque marmora


Illum videntes, luminaq; humidi,
Nos Orphanos heu cui relinquis
Atq; iterum, atq; iterum gementes?
Et dum ſtupentes ſuſpiciunt eum
Illos ſteterunt ponè duo viri,
Qui veſte amicti candicanti
Talia ſunt ſubitò locuti:
Quid Galilæi ſtatis in aureum
Cœlum videntes? hìc modò iam Polos
Scandens IESVS, morem in illum
Quem petit æthereos penates,
Deſcendet illinc rurſus, at in throno
Celſo tremendus, tempore quo tuba
Clangore cunctos excitabit
Exanimes tumulis ab altis.
Hæc fati in auras ſunt citò ſtridulas
Elapſi, at æthræ mœnia flammeæ
Orco triumphato petebat
CHRISTVS agens acies parentum.
Vt Laureati limina Martiæ
Romæ introibant belligeri duces
Olim, ſecures, atque captas
Cum clypeis galeas ferentes:
Curruſque, criſtaſque, & ſpolia omnia;
Et fortè ciues vertice pileos
Raſo gerentes, ac triumphum
Grato, hilariq; animo ſequentes.
Sic ille pandens mundi ab origine

M *Clau-*

Clausas Olympi, crimine, ianuas:
Et liberos ciues, & amplas
Exuuias, proceres beatos
Ex hoste duxit splendidus, atque ouans.
Quis quæ choreæ, quantaque gaudia,
Illicque qui amplexus, & hymni
Qui fuerint memorare possit?
Deum celebrant cantibus Angeli.
Sedes inanes nanque homines vident
Complere, tractos è voracis
Faucibus, ingluuieque Auerni.
Gaudent beatæ contrà animæ; tenent
Quod summa cæli culmina, quæ diu
Desiderarant: vt procellas
Post rabidas, stabili potitus
Tellure nautes. Sedit ad arduam
Dextram Tonantis filius, ordine
Omnes iubens sudore digna
Præterito loca possidere.
Vos nunc supernas qui colitis domos
CHRISTVM secuti, sydereí Patres
Quæso, vt rogetis, vester istic
Quò socius pietate fiam.
Tuque, ò salutis vnica spes meæ,
Qui hac luce scandis sydera, gloriam
Da me tuos inter ministros
Cernere perpetuò micantem.
Amen.

IN SACRATISSIMA PENTECOSTE

ODE. XI.


ON altus è cyrrha, vel è Cynthi iugo
Mihi vocandus Delius.
Nec rupibus Pindi, inclytisuè Thespijs
Iouis ciendæ filiæ.
Sed tu profundas qui ferebaris super
Aquas in orbe condito,
Et ora soluisti prophetarum loquens
Non omnibus mysteria
O Sancte Spiritus, creator optime
Cœlique, terræque, & maris,
Qui ex Patre, Filioque procedens Deus
Par ijs adoraris simul,
Mone, & tuo inspirans referuati, aureus
Ut ignis in flammantibus
Linguis super sacros IESV Apostolos
Promissus his, descenderis.
Atque ut per illos sis locutus omnium
Linguis, ut omnes uerteres
Fidem ad triumphantem: uiasque ostenderis
Quies ad Polos attollimur.
IAM CHRISTVS astra uictor, & secum Patrum
Ducens cateruas, scanderat.
Cùm, sole iam bis quinquies sub Tethyos

Abluto Iberæ fluctibus,
Sui memor promissi ab altioribus
Cælis, ad illos spiritum
Emisit almum, vt præditi scientia
Sermonis, àc vt feruidi
Amore, nominis sui præconia
Quocunque ferrent, gentium:
Loco qui in vno congregati cum simul
Omnes forent, interque eos
Splenderet, inter vt minora Sydera
Luna, alma virgo candida.
Sonus repentè factus est ab æthere
Vt decidentis spiritus
Vi flantis acri, quo velut tonitruo
Concussa sunt tecta, & trabes.
Domum repleuit qui frementi turbine
Vbi ii sedebant territi.
Tum protinus totos penates emicans,
Flammis crepans ingentibus
Elambit ignis, & nitenti lumine
Lustrauit illos vndique.
Candenti vt ex ferro fabri sub malleo
Hinc, inde stricturæ emicant:
Sic ille linguas diuidens in plurimas
Se se, nitore flammeas:
Hac in figura singulos superstetit
Ilorum in alto vertice.
Qui tum repleti Spiritu Sancto, loqui

Cœpère linguis gentium
Cunctarum, vt ille doctor ingens cœlitus
Donabat ipsis farier.
Fortè incolebant nobilem Metropolim
Iudææ iniquæ ab omnibus
Plagis, Olympo quæ per amplo subiacent
Tum nationès cognitæ.
Qui Gnoßon, Idæumq́;, Cretamq; vrbibus
Centum superbam pessident.
Terrasque Pontus quas strepenti murmure
Ad latrat ingens, qui tenent.
Aspro rigentem quique Mæotin gelu
Frangunt securi barbara.
Et qui, Cyrenæ, fertiles, àc vberes
Tuos aratris eruunt
Campos, & Ammonis per altum oraculum
Tractus arenæ cursitant.
Nec non qui ab hortis decutit celebribus
Ac fabulosis aurea
Tot mala; Arabsque qui beatus incolit
Syluas odore nobiles.
Vndisque circum murmurans gemmantibus
Aequor rubrum quos alluit.
Quibusq; celso desuper cacumine
Impendet ingens Casius,
Qui noctis hora nona ab Hemispærio
Adhinnientes altero
Phœbi iugales spectat, inter nubila

Sic

Sic condit altum verticem.
Suisque multi nominis Taurus iugis
Quos ambit, atque amplectitur.
Vber nitenti quique findunt vomere
Solum, atq; glebas Asias.
Quosq; hinc sagytta Tygris ingens ocyor
Suo cohercet flumine.
Hinc magnus Euphrates, & illorum solum
Circum fluunt, vt insulam.
Palmis, Idume, & qui tuis sub arduis
Edunt legentes dactylos.
Iordanis atq; notioris Tybride
Qui potat vndas vitreas.
Solusque Balsama excipit sudantia
Diues beato munere.
Portas Amani & qui iacent ad inclyti:
Et quos Lycus præter fluit.
Cilixq; Isauræ qui tuetur mœnia,
Crocumq; spectat Coryci.
Quos alluitq; lucido amne Eurymedon;
Et qui Phaselin incolunt.
Pamphyliæ & agros qui feraces impigris
Tauris arantes edomant.
Quem lambit Halis, cuiq; celsus imminet
Argæus, atque Cappadox.
Et qui canentes audiunt in herbidis
Ripis olores dulciter
Tuis, Cayster, tortuosis flexibus

Mæan-

Mæander & quos attonat·
Latusq; Sigæum videntes, & Chijs
Plorata Musis Pergama.
Qui Mediæ iuga, aureamq; Ecbatanam,
Quique asperam Carmaniam
Colunt; bibitque perfidus qui Barbari
Vndas Araxis deuias:
Sonans pharetra, arcuq; formidabilis
Victorque Parthus in fuga.
Gentesq;, nascens quas benigna respicit
Aurora primo lumine.
Nigri Minæi, thuris altaque arbore
Multa Sabæi diuites.
Proculque spirantes Atramitæ hauriunt
Qui sic odoras insulas.
Atq; Elamitæ quos Eois fluctibus
Circum strepens Mare alluit.
Orbisque victor, & tremendus deniq;
Qui complet altæ mœnia
Superba regnatricis vrbium omnium
ROMAE triumphis inclytæ.
Hi nuntium exciti hunc ad incredibilem
Venère conferto agmine
Illò, simulq; mente confusi è graui
Stupore tùm sunt protinus.
Nanque audiebat quisq; lingua territus
Illos loquentes propria.
Interque sese mussitantes murmure

Di-

Dixere rauco talia:
Hi non nè Galilæi erant, & quomodo
Nostris eos sermonibus
Audimus, (an præstigiosè fallimur,)
Fantes Dei magnalia?
Quid nam sibi hoc uult? sed putabat plurima
Illos aduncis naribus
Caterua suspendens, mero plenos simul
Esse, & Lyæi numine.
Surrexit at stans Petrus, & iis asserit
Plenos loqui se Spiritu
Sancto, idque dudum iam futurum prouidos
Cantasse vates approbat.
CHRISTVMq; surrexisse verè ab inferis
Testante Dauid, indicat.
Queìs corda verbis his pupugit intima
Acti reatus conscia.
Sunt, vnde, sacro tincta eorum millia
Ter, luce in illa, flumine;
Quod nec tonitruis suis Demosthenes,
Tortis nec eloquentiæ
Fulminibus vnquam vi graui ruentibus
Fecisset; oreque arduo.
Nec ille Romanæ parens facundiæ
Princeps, & author Tullius.
Vt deserentes dogma fidei antiquius
In Crucifixum crederent.
Piscator indoctus, madensque è retibus

Per-

Persuadet, alme spiritus,
Tua per illos concitante gratia;
Quos congregatos omine
Quodam, suis linguis eodem tempore
Tot nationes alloqui
Fecisti; in omnes exiturus scilicet
Terras, sinusque in vltimos
Oceani, eorum quod foret cunctis sonus
Ex audiendus gentibus.
Quem deprecor flens, vt velut mirabilis
Ignis benigna flumina
Fudisti in illos; tu mihi sic cælitus
Mittas supernæ gratiæ
Radium: tenebras vilis ignorantiæ
Qui candicanti lumine
Ex corde pellat: & calore feruido
Rumpat rigentem pectoris
Glaciem, reflectens se de hinc Titania
In astra, me non deserat
Vnquam; vt renidentem vsque ab omni crimine,
Virtutibusque fulgidum
Trahat, fauillis præmicans nitentibus
Aeterna supra sydera,
Regnans Deus cum Patre, vbi, atque Filio
Per cuncta viuis sæcula.
Amen.

MVTII SFORTIÆ

IN DIE SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

ODE XII.



VM summus, vt nos liberaret inuido
Ab hoste, prolem sæcula antè splendidam
Suam, gignente semper, altoq; è sinu
Terras ad ingratas, genusq; incredulum,
In fine temporum genitor emiserit,
Qui torquet astra; quique verbo condidit
Cœlumq;, terrasq;, æquor & circum vagum.
Et Filius carne integra de Virgine
Assumpta, homoq; cum voluntatem Patris
Agens, Crucemq;, asprasque plagas, sputaque,
Clauos, flagella, vincla, mortem denique
Perpessus, & sepultus exurrexerit
Viuens ab Inferis, triumphansque agmina
Captiua ducens, astra iam conscenderit.
Cumque ex Parente missus, atque è Filio
Apostolis descenderit sub igneis
Linguis Paracletusque, & almus Spiritus.
Vt terminatis omnibus mysteriis
De Trinitate, quæ Prophetæ dixerant
Dudum ante, nostra pro salute iam fore.
Merito celebrant hac in illustrissima
Hos, luce, solennes verendo nomini
Tuæ potentiæ, tibiq; proprios
Gentes, honores, ò beata Trinitas.

Licet

Licet dierum ſe rotante circulo
In orbis alma luce ſeptenarii
Prima, celebrent, concinantque dulciter
Semper tibi hymnos, ante cuncta tempora
Mundum regens qui es vnus, ac trinus Deus.
DVM nanque ſeſe noſcit, atque intelligit
Parens, profunda è mente gignit Filium,
Verbum parentis, quique imago eſt illius
Aequalis, eiuſdemque, vt is, ſubſtantiæ,
Lucis peremmis candor inuiſibilis,
Nec non paternæ ſplendor almus gloriæ:
Vt radius orbe lucidus de lampadis
Phœbææ inardens: lumen & de lumine,
Verus Deus ſimulque vero de Deo.
Hunc donec in ſe noſcit, atque concipit,
Aeterno amore victus ipſum diligit
Pater, viciſſim Filius quem noſcitans
Ingenti inardens charitate amplectitur.
Vnde ambo ſpirant ſic amorem mutuum
Qui fertur almus, atque ſanctus Spiritus,
Deique digitus, atque munus dicitur,
Ex Patre qui procedit, atque Filio,
Aequalis illis, omniumque conditor.
Et cum relatione ſit pluralitas
Diuerſa perſonarum, & æqua, non tamen
Dii tres: Deus ſed vnus, vna eſſentia eſt,
Mundum regit qui continens, & temperat.
Vnde in throno illi conſidenti altiſſimo

Alis decora sex beata Seraphim
Cùm Sanctus, atque Sanctus, atque Sanctus, hoc
Ter ingeminauerint modo, post concinunt
Meritò, Dominus, Deusque fortis Sabahot.
Quarè, ò creatrix, inque diuisibilis,
Vnita, sed distincta, Sancta Trinitas,
De te tenemus, sique rectè credimus
Quod docuit olim proprio nos Filius
Ore, atque sancto illuminati Spiritu
Scripsere Patres. (Nam quis inscrutabilem,
Immensam, & infinitam, & extrà mœnia
Atque orbis intra, te: nec intus, nec foris
Clausam, vel exclusam, ast vbique denique
Totam, replentem cuncta magno numine,
Mente queat humana vel amplexarier
Vnquam, suis ve sensibus comprendere,
Numeri sub hac distinctione maximè?
Formam suæ cum penitus vlla indagine
Animæ nequeat, demumque se se noscere?)
Veni obsecro, mihique cordis ostium
Pulsa manu inspirationis intimæ.
Vt pectus aperiens tibi, sit candidum
Templum, tuoque dedicatum numini.
Potens Pater largire fortitudinem,
Vt carnis, atque mundi, & hostis prælia
Tuam queam per gratiam contundere.
Tuque ò Parentis, Nate, summa gloria
Sapientiam da, qua uitia discernere,

Re-

Rectàque possim tendere ad cœlestia.
Tuque, ò superni Amoris ardens halitus,
Vinclumque dulce, Sancte, & alme Spiritus,
Spirans beatum flamen in præcordijs
Accende nostris charitatis igneas
Flammas, precamur; huius vt de vinculis
Mundi expeditus, Trine, te cognoscere
Deus, queam: àc intelligendo diligam:
Et diligendo indesinenter perfruar
Post obitum in excelsis tuis stellantibus
Regnis, ubi te, per speculum in ænigmate
Quem nunc uidemus, tunc tua in substantia
Facie ad faciem, uelutque es, inspectabimus.
Deo parenti ingenito, & eius Filio,
Et utriusque Sancto, & almo Spiritu
Sit laus, honorque, trina, & una gloria
Per cuncta semper sæculorum sæcula.

Amen.



MVTII SFORTIÆ IN SACRVM ROSARIVM BEATAE MARIAE SEMPER VIRGINIS.



ER quinas, has, virgo, Rosas tibi dedico, quas non
Aestas exurit, nec fera mordet hyems.
Bissena, has, inter fulgentia sydera, circum
Flauentes crines serpere, Diua, sine.
Et face vt hoc quisquis cinget sua colla monili,
Mittet & hoc fragrans munus odore tibi:
Cùm terris cedet, per amœna Rosaria cœli
Agnus vbi pascit candidus ille tuus)
Ponè sequens ludat, tibi canaque Lilia spargat,
Te celebrans hymnis, te decoransque Rosis.

MYSTERIA GAVDIOSA.

ODE XIII.



VNTIVS cœlo uenit ad MARIAM
Quam Dei flamen volitans obumbrat,
Concipit virgo, superùmque Regem
Gestat in aluo.
Hinc Ioannis tremulos parentes
Visit, atque illi canit alta vates;
Et canit contrà celebrans Tonantem
Laudibus ipsa.
Dumque diuertit Bethlemite ad antrum
En Deum virgo parit. en adorant

Per

Peruigil custos gregis, atque Eoi
Munere Reges.
Sistit ad templum patris, alma, natum,
Præcinit ferrum fore quem sacerdos
Quod penetraret genitricis alto
Vulnere pectus.
Filium quærit lachrymosa mater
Dum sacræ templum petit vrbis, atque
Inuenit canæ in medio cateruæ
Magna docentem.

MYSTERIA DOLOROSA.

ODE XIIII.



ST vbi Mortis propè venit hora
CHRISTE, dum patrem rogitas in
horto,
Sanguinem sudas, roseoque tellus
Rore madescit.
Inde te vinctum gelidæ columnæ
Cædit ad mortem ualidis flagellis
Lictor, at corpus tenerum cruoris
Flumine manat.
Tum caput sacrum rigida corona
Sentibus texta redimitur, atque
Milites dantes calamum, salutant
Nomine Regis.
Hinc Crucem gestans humeris, ad vrbis

Laberis portas: genitrixque cernens
Talia, ex anguis cadit, heu peracri
Fixa dolore.
Montis infamis superans cacumen
Stipitem scandis: manibusque fixus
Aetherem pandis, redimisque sacro
Sanguine mundum.

MYSTERIA GLORIOSA.

ODE. XV.

*IVVS at surgens spolias Auernum*
Tertia luce, & rediens triumphas
Tartaro presso, miseræque matri
Fulgidus astas.
Hinc iò ducens acies parentum
Victor ascendis super astra, pura
Nube subuectus, residesque dextram
Patris ad altam.
Intonat cæli veniens ab arce
Spiritus Santus, radiansque linguis
Igneis, CHRISTI timidos alumnos
Propulit vltrò.
Euolat tandem choreis Olympi
Septa, tum carnis spolio refulgens
Diua sub cœlos, genitrixque natum
Læta reuisit.
Postque dannatos Erebi profundo

Inter

Inter excelsas choreas canentes
Gloria trini rutila fruemur
Omne per æuum.

IN ASSVMPTIONE BEATAE MARIÆ VIRGINIS.

ODE. XVI.



VM tuas sacras vigilant ad aras
Cæteri, & castis lachrymis euntem
Te super cælos comitantur, atque
Munera poscunt.
Nos tibi fixis oculis sub astra
Ad lyram dulces meditamur hymnos
Cælites inter strepat vt canentes
Nostra Camæna.
Hispidas inter velut orta spinas
Candida exurgit Rosa, sic & ipsa
Inter Hebræos oriens, Olympo
Spargis odorem.
Virgo, inaccessum, validumque castrum,
Fulgurans armis, solidumque muris,
In quod ingressus requieuit infans
Conditor orbis.
Vndeque egressus puer, atque inermis
Fudit armatum Crucifixus hostem:
Vinxit, & lætis spolijs onustus

O Aethera

Aethera ſcandit.
Quæ quod in terris humilis iaceres:
Nec ſatis diræ veneranda genti,
Nota ceu paucis pretioſa gemma
Squalet arena.
Intulit, cælo veniens, ſuis te
Diua, theſauris, genitus, ſupernis;
In quibus fulgens veluti Pyropus
Obruis omnes.

IN ASSVMPTIONE EIVSDEM BEATAE VIRGINIS.

ODE XVII.



O Cæli decus, ô Dea,
Quæ fulgens ſpolio corporis hoc die
Scandiſti ſuper æthera
Alis cælicolûm fulta frequentibus:
Nunc ne deſpice, quæſimus,
Luſum, quem vigilans murmurat en tibi
Per nocturna ſilentia
Noſtra afflata tuo numine Pieris.
Corpus, membraque candida
Tellus læta tibi contulit: at Mare
Nomen, corde vocantibus
Te, dulcī Ambroſia dulcius indidit.
Infudit Polus vndique
Effulgentem animam Sole nitentius.

Aetatem ſed vbi tuam
Bis quina accelerans clauſit Olympias.
Tellus, æther, & æquora
Magnis ante Deum vocibus infremunt:
Ex ipſoque precantia
Pro ſe, quodque Deam te ſibi poſtulant.
Aſt æquiſſimus omnium
Partem cuiq; ſuam Rex pater annuit:
Corpus debile dans humo:
Et Stellis animam; nomen & æquori.
Tum tellus, Mareque horridum
Orant: Quin potius regnet vt integra,
Et ſedes magis hanc decet
Qua præſens radias lumine tu magis.
Cœli vertice in aureo
Mundum deſpiciens iura det omnibus.
Magnus Virginis, & Dei
Natus, tum ſuperis imperat ocyus,
Ex illis ſua quo parens
Ad Stellas redeat vecta per aëra.
Cœlis, haud mora, deuolant,
Infundunt animam, puluereque excitant.
Et claram ſuper ætheris
Culmen, dulciſonis laudibus euehunt.
Venit filius obuiam
Blandeq; excipiens collocat in throno
Stellanti, propè dexteram.
Atque hìc trina Deam machina te colit.

Nam tu, mater vt optima,
Præbes cuique tuas inclyta gratias.
Ex te munera sentiunt
Terræ, flaua Ceres, almaq; faustitas.
Tu mulces maris impetum,
Tu ventos cohibes, Iunoq; temperas.
Tempestatibus asperis
Tu Castor geminus, Stellaq; præuia.
Tu cæli decus aureum,
Sol, Iris varians, Cynthia, Phosphorus.






MVTII SFORTIÆ CARMINVM SACRORVM LIBER SECVNDVS.

AD ILLVST.MVM, ET REVEREN.MVM, FRANCISCVM SFORTIAM S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM.

ODE. I.



DIIS charus ille est; Dij super æthera
Hunc euocarunt, vt simul in Iouis
Mensa recumbens sempiternum
Purpureo bibat ore Nectar.
Has qui caducas res animo arduo,
Mundumq; temnens se velut Hostiam
Viuam, Deùm regi placentem
Dedicat, à tenerisq; sacrat.

Qua

Qua mente celsa, qua sapientia
Ornatus ergo tu, puer inclyte,
Fulges perenni quàm laude dignus:
Quemq; ferant super astra Musæ?
Qui tran euntes despiciens opes
Prima in iuuenta, regnaq; ditia
FRANCISCE, primus, iustus hæres,
Ac veteres, titulosq; claros;
Ad regna cœli, ad sceptra perennia, ad
Gazas anhelans perpetuas, Deo
Te consecrasti, luce tactus
Aetherea, superòque ab igne.
Non educandi nunc tibi liberi:
Non flenda eorum tristia funera.
Morosa non vxor superba
Est grauibus toleranda curis.
Tentanda non sunt impia prælia;
Non seruiendum Regibus asperis,
Non dextera humano cruore
Contaminanda tibi feroci,
Dum Martis ardore in medio impiger
Dux, siue miles: seu pedes, aut eques
Hostem lacessis, vulnerasque:
Ac spolia ampla referre tendis.
At contrà honores quos tulit, & bona
Tibi, ista crines Purpura quæ tegit?
Quantoque curarum tumultu,
Turbineque eripuit sonanti?

Iſta renidens ſydere pulcrior
Aſtas gerenti, proximus, hìc vices
Tonantis, vnà præſidenſque
Imperijs moderaris orbem;
Inter Senatum purpureum nitens
Flaua inuenta floridus, aurea
Aſtra inter, vt perfuſus vnda
Lucifer Oceani refulget.
Atqui decebat ut domus hæc daret
Qui illìc micarent; uidit ut anteà
Hoc acrem Alexandrum, hoc & Oſtro
Aſcanios geminos decoros.
Quos æmulari tu patruos nepos
Factiſque debes uincere fortibus.
Maiora quis ſcit ſi Tonantis
Prouida mens tibi præparauit?
Atque ad ſupremum te ſolium euehat,
Maternus olim quod tuus ille auus
Paulus decus Farneſiorum
Scandit, ouans triplici Thiara?
Aeterniores at ſapientior
Aſpecta honores. Sydera ſcandere
Contende Sacratamque frontem
Cingere ſtellifera corona.
Sedes ibi aſtris clara micantibus
Te ſuſtinebit; ueſtis & ambiet,
Cui luce Sol cedat, ſororque,
Haud putridis uariata gemmis.

Inter-

Interq; Diuos non modò Pontifex,
Sed Diuus aspra Morte carens, Deo
Semper fruèris, audiesq;
Cælicolùm modulos perennes.

AD ILLVST. ET REVEREND. MVM MVM HIERONYMVM RVSTICVCCIVM S. R. E.

CARDINALEM AMPLISSIMVM.

ODE. II.



AXIMA Laus certè est, à laude insignibus alta
Principibusq; viris super æthram
Laudibus efferri. Quare quis mutus, & infans
Non cælo te laudibus æquet,
Si duo Pontifices summi, tripliciq; Tiara
Ornati, super astra tulerunt
Laudibus æternis te, laudum & testibus actis,
Quæ superant præconia cuncta?
Nam Quintus Pius ille ingens, ille horror Eoi
Orbis, Turcarumq; flagellum
(Heroo cuius cantantem carmine laudes
Tu nostrum, pater optime, Tybrim
Accipe, te curis furans mordacibus, inter
Cæruleos, vaga numina, Diuos)

Te tot præclaris spectans virtutibus aptum,
    Vt meritum laudauit, & ostro
Laudis vt eximiæ, & virtutum teste perenni
    Præcinxit tibi tempora sacro.
Purpureosq; inter proceres discumbere fecit,
    Et sancto fulgère Senatu.
At Xistus Quintus, qui nunc moderatur habenas
    Terrarum, cui sydera parent,
Ille Pii Quinti sectator, & æmulus idem
    Virtutes, HIERONYME, claras
Miratus, moresq; tuos, quibus extulit illos
    Encomiis? quo euexit honore?
Cuncta arcana tibi, magnæ & penetralia mentis
    Credidit, in te teque recumbit.
O vtinam posses hunc sancta lacessere ad arma
    Consiliis, monituque salubri.
Aemulus vt Quinti Quintus nunc pectora Regum
    Excitet, atque inflammet in hostes
Odrysios, trudant vt nunc sub Caspia claustra,
    Affectos iam clade suprema.
Quando quidem Persæ cædunt victricibus armis,
    Hosque vrgent modo Marte secundo.
Quid nunc Christicolæ, quid nunc Europa morantur?
    Altera quando occasio surget?
Illud si pectus tali succenderis igne,
    Quot Diuos æquaueris ipse,
Talia qui magnos dictis Heroas ad arma,
    Ad tam clara trophæa uocarunt?

Vtque tuum nomen, geminis ceu Pægasus alis,
Perq; orbem, perq; ora volabit
Scriptorum pennis? at post modò Spiritus inter
Cælicolas, rutilasq; phalanges
Pennifer vt sonipes superos intermicat ignes,
Aeterno splendore nitebit?

AD ILLVST. ET EXCELLENT. MVM, MVM, MARIVM SFORTIAM.

ODE. III.



RMIS cruentis, atque laboribus,
Clarisq; factis Magnanimi Duces
In sæcla multa famam, & ingens
Hìc sibi iam peperère nomen.
Plus Gloriam, quàm regnauè ditia,
Vrbesuè amantes. intulit hinc nigris
Indis remotis bella Liber,
Victor & hos superauit armis.
Purgauit orbem fortior Hercules
Monstris nefandis: illius asperos
Surgensq; Titan, occidensq;
Vidit & obstupuit labores.
Prima carina findere cærula, &
Adire Colchos fecit Iasona.
Non aureum vellus, sed ardens
Gloria, quæ iuuenem excitabat.

Nepo-

Nepotem Amynthæ misit & hæc graues
In Persas olim, mille periculis
Ire obuiam, atque omnes Eoos
Vincere, & omnem Asiam coegit.
Hæc & Latinos impulit, & Duces
Ad bella Graios, dum spolia aurea,
Clarosq; promittit triumphos,
Ac celebre, & sine fine nomen.
Hos tu sequutus, laudeq; pectora
Perculsus, illos tu quoq; fortibus
Contendis actis æmulari,
Parque decus tibi quæris armis.
Dum siue Celtas fulmen vt igneum
MARI, rebelles sternis, & impios;
Vt barbaros, sæuosq; letho
Tunc Marius dedit ille Cimbros.
Agnati Hetrusci seu Ducis agmina,
Turmasuè ducens Pontificum, geris
Bella, acer vt Dux, SFORTIAEq;
Nobilis, ac generosus hæres.
Inspecta cuius prædita Laurea,
Ac torua imago belligerum Ducem
Te sola fecit, Martiali
Vique tuum iecur excitauit.
Et iure. Nam quis fortior induit
Illo arma? quis nam tot spolia hostibus
Sic abstulit? de Regibusq;
Rettulit exuuias opimas?

Duce effugato protinus extero
 Antiqua belli gloria reddita
 Tibi per hunc certè est, decusque,
 Italia, hostibus horror olim.
Quantumq; debes tu quoq; SFORTIAE
 O Roma rerum iam caput, improbo
 Huius per arma erepta ab hoste,
 Qui uacuam citus occuparat.
Vexilla testes sunt sacra, Pontifex
 Quæ gratus illi tradidit, vt suis
 Præfecit armis, gentibusque,
 Ac data munera plura, & vrbes.
Sensère Reges iam gemini, Italus,
 Nec non Iberus fortia SFORTIAE
 Quid arma possint, terga dantes
 Cum subitò erubuère victi.
Regina perque hunc libera maximas
 Donauit vrbes. Hercule dextero,
 Signisque collatis, vt ille,
 Non alius ita dimicauit:
Cedant Latini, & Graiugenæ Duces
 Huic, nanq; magni viribus imperi
 Hi publicis freti triumphos
 Rettulerunt, domuère gentes.
Ast ille solus consilio, & manu
 Præstans tremenda, Marte suo impiger
 Tot regna cœpit, fudit hostes,
 Rettulit innumerasq; Palmas.

Pro-

Prolemque liquit, quæ similis Patri
Magnorum habenas flecteret aureas
Regnorum, obumbret quam Senatus
Purpura, Militiæq; Laurus.

AD ILLVST. MVM, ET EXCELLENT. MVM, PAVLVM SFORTIAM, PORSENAE MARCHIONEM, ODE. IIII.



IDIT vt Hispanis in Gadibus Herculis altum
Ad templum Alexandri ferocem imaginem,
Ingemuit Cæsar, quod nil ætate sub illa
Sibi esset actum laude dignum maxima.
At contrà Persas ille edomuißet, & Indos,
Orbisq; Eoi fræna lata flecteret.
Sic ataui tu stemma tui, qui ingentibus actis
Terras repleuit Italas, atque exteras,
Atque suæ soboli decus immortale reliquit,
Dum, PAVLE, cernis, æmulari eniteris.
In Gallos ergo, velut Enceladi, atque Typhœi
Qui arma in Tonantem, cælitesq; sumpserant,
Præside ab excelso, rerum cui summa potestas,
Cum Fratre missus quanta fundis agmina?
Non ita terrigenas strauit Tyrinthius arcu,

Vt illa monstra conficis tu barbara.
Pergama non Troiæ sic armis inclytus Hector,
Non Manlius defendit arcem Romulam;
Vt tu propugnans sæuo tutaris ab hoste
Vrbes fideles Regias, queìs præsides.
Testes Celtæ omnes, testis tibi Ghisius Heros;
Qui prælıantem vidit alta ad mœnia.
At qualis ducens peditumque, equitumque cateruas
Fratrique iunctus sæua bella gesseris
Collatis signis, quot tunc demiseris Orco
Vmbras rebelles, debitasque Tartaro,
Andegauensis Dux testis, Regia proles,
Qui tum regebat Imperator Copias.
Testis & armatus Gallorum exercitus omnis,
Ex quo quis admiratus infit talia,
Romani sic bella gerunt; ita Cæsar & ipse
Nostros parentes vulnerabat impiger.
Testis & à quinto spectans vos, SFORTIA, cælo
Iuxtà Gradiuum confidens aheneis
Armis terribilem, rapuit qui protinus illum
Vndis Aterni, Olympi & astris intulit.
Sic & Tyndaridas fratres spectabat ab alto
Cum dimicarent, corde gaudens Iuppiter.
Atque inquit: Mihi Scipiades, mihi Cæsar, & ille
Nepos Amynthæ, omnesque cedant Principes.
Non etenim me prole virùm felicior alter.
Franciscus en me vicit, ille Insubribus
Qui Dux iura dedit, ceu Pelea vicit Achilles.

Et bellica nunc gloria vos tenditis
Me, mea progenies, superare & fortibus actis;
Sed his ab æmulis iuuat me uincier.
Strenua nec tantum manus est tibi, PAVLE, sed alta
Prudentia, viq́ue ingeni scis uincere.
Hinc Hispanorum voluit Rex prouidus, vt tu
Belli in tumultu consulas Neapoli.
Rebus & in dubijs des certa Oracula regno.
Sic vos nepotes laude uincant bellica.
Eq́; domo nostra nunquam sacra purpura, nunquam
Desint triumphi, non Coronæ, & Laureæ.

AD ILLVSTREM, ET REVERMVM, FRANCISCVM MARIAM SFORTIAM

Episcopum Conuersanensem Fratrem.

ODE. V.



ESCENDIT æthræ uertice ab aureo
Regnator orbis, corpus & induit
Proles Tonantis, perq́; terras
Factus homo, Deus ambulauit.
Vt nos doceret quæ uia sydera
Ad celsa ducat. clauserat hanc prius
Versutus, antiquusq́; serpens
Ille, Polos quatiens tumultu.
Quæ uerò Auernum ducit ad Inferum

Pandit,

Pandit, perornans floribus, & Roris.
Hìc mente captos heu Voluptas
Decipit, atque trahit sub Orcum.
At ò beatum cui via carpitur
Illa arcta, & aspra, atque ardua, quam Deus
Ostendit, & fuso reclusit
Sanguine, quam Labor, atque Sudor
Sternunt: obumbrant certaq; præmia.
Illuminatus tu puer hanc videns,
Ingressus hac, optas anhelus
Prendere sydereos penates.
Incedis atque hac tam leuis, ac celer,
Atque ex peditus, Pastor vt omnium
Mandarit vt post te superno hoc
Tramite Pastor oues, & Agnos
Agas tenellos. impiger hoc onus
Subis, sacrata temporaque infula
Euinctus, & virga tremendus
Hos agis, ingrederisque primus.
Nucumque ad vmbram, siue Cupressuum,
Quandoque cogis Thura sub Appula,
Et personans septem cicutis,
Hos recreas, hilarasque cantu.
Nunc ferro, & igni putrida vulnera
FRANCISCE, curas, nunc bona pascua
Ostendis, atque ad pura ducis
Flumina, iter reserasque Olympi.
Nunc & Luporum de rabie truci,

Nunc

Nunc Viperarum morsibus eruis.
Testes nefandæ, illæque Sagæ
Terribiles, quibus ipsa Circe,
Medea, Erictho, & Thessala quælibet
Cedebat; atræ sic Furiæ velut
Manes ciebant, Inferisque
Dijs, socijs velut, & maritis
Inseruiebant · fulmine iam tuæ
Sententiæ ictas Mulciber has ferox
Amplexus expurgauit vltor,
Atque greges citus expiauit.
Sic Ezechias, sic puer inclytus
Olim Iosias talia substulit
Portenta, adorarique verum
Ille Deum, Dominumque iussit.
Qua propter Agnus crimina qui lauat
Peccantis orbis, te super ætheris
Campos, renidentesq; fontes,
Vnde Salus fluit, atque vita,
Expectat, vt det maxima præmia,
Textasq; claro sydere Laureas.
Interque Pastores reponat
Quos geminus veneratur Orbis.



AD MVSAS.

ODE. VI.


AM musæ adestis, nocteque in horrida,
Mundo silenti, vel fide Teia,
Vel Lesbia, canoros
Iam resonare modos paratis.
Sed quem efferetis versibus ad Polos
Heròa? quæ nam Monstra locabimus
Inter Deos, dum cogitatis
Munera magna referre ab istis?
Aegyptus olim cæpeq;, & alliæ,
Canemq;, & Ibin, cornigerum & bouem,
Et belluas tot Nili adorans,
Numina ceu coluit, Deosq;.
Portenta sed vos maxima, fædaque
Iam mille culpis, sydera ad aurea
Mendacijs mille extulistis:
Illaque Semideos vocastis.
At horum ab auro, & diuite copia
Misellæ, egenæ dicite Virgines:
Quod pondus auri, quæ talenta,
Quantaque munera rettulistis?
Cassi heu labores, vanaque carmina
Quid profuistis? Monstra sub Inferis
Ergo sinamus, atque Lethes
Fluminibus reticenda mergi.

Cur

Cur mentiemur? cur vigilabimus,
Volent per ora ut scilicet omnium
Indigna, famaq; illa viuant
Carminibus celebrata nostris?
Læti at canamus qui rotat ethera;
Qui nos creauit: qui regit omnia;
Qui pascit hìc nos, quiq; fuso
Sanguine nos proprio redemit.
Qui nos ad illas æthereas vocat
Sedes, vt illic omnia sæcula
Viuamus vt Dii; ipsiq; grates
Perpetuas, hilares agamus.
Voce hunc perenni cælicolùm agmina
Trinumque, & vnum concelebrant, & hunc
Omnes canunt gentes per orbem:
Huncq; modis coluisse gaudent.
Hunc astra laudant, Lunaque candida,
Phœbusque fulgens, omneq; concinit
Cælum; hunc vt authorem æquor altum
Prædicat, hunc celebratque terra.



MVTII SFORTIÆ
AD ILLVSTRISSIMVM, MVM,
ET EXCELLENTISS. CÆSAREM
COSTVM ARCHIEPISCOPVM
CAPVANVM, ET PONTIFICIS.
LEGATVM VENETIIS.

ODE. VII.



VID clara virtus possit, ad æthera
Per quos honoros, ac placitos gradus
Extollat inuictos alumnos,
Ipse doces, venerande Cæsar.
Nam iuris vt te sancta scientia,
Et cæteræ artes, quas puer imbibis
Desideratas, iam perornant:
Moribus enituitque vita
Intaminatis. nec bona denegat
Facundia arma, at candida suppetit
Vires suas, atque explicandi
Mentis opes tibi verba præstat.
Romæ auspicato tu pede mœnia
Intras. Vbi illic maximus aspicit
Te Pontifex, istis coruscum
Dotibus, eximiisq; donis;
Intelligentem præficit arduo
Te muneri, quo distribuis bona
Ecclesiæ. at alter celsiori

Sede

Sede locat, meritumq; Mitra
Te cingit alta .pulchrior infulis
Hinc pascis vrbem, quàm Capys Ilio
Extruxit euerso, docensque,
Ac faciens populos gubernas.
Qui verò Petri nunc solium tenet
Summus sacerdos ad Venetùm auream
Legauit vrbem, qui sacrasq;
Res videas, referasq; Romæ.
Hìc comitate, & moribus integris
Deuincis omnes. Quis tibi purpuram
Non afferat? quis non tuis dat
Temporibus Tyrium Galerum?
Iam, iam refulgens Pontificis manu
Contemplor Ostrum, quod meritas comas
Aduelet, ac te inter micantem
Purpureum video Senatum.
Hæc ipse Apollo prædicat, ipsaq;
COSTE auguratur Dux tua maxima
Virtus; Olympique in suprema
Arce tibi solium reponit.



AD

MVTII SFORTIÆ
AD CLAVDIVM AQVAVIVIVM
SOCIETATIS IESV GENERALEM
ANTISTITEM ILLVSTRISS.

ODE VIII.


ERRAM hanc iacentem, veliuolum hoc mare,
Et cuncta in istis condita quæ vides,
Cœlumq; hoc, astris quod refulgens
Hæc tegit, hisque super rotatur.
CLAVDI, creauit cunctipotens Deus
Nos propter; at nos (ò unica dignitas
Mortalium) se propter ipsum
Ille manu, studioque finxit.
Vt supra Olympi fulgida mœnia
Mixti beatis Cælicolùm choris
Laudes perennes concinentes
Perpetuò frueremur ipso.
Hæc tu volutans pectore cælitus
Illuminato, deseris omnia
Mentemque scrutatus Tonantis
Hunc sapiens sequeris magistrum.
Opesque, & vrbes, claraque stemmata
Calcans tuorum, purpurea aureus
Dum flos iuuentæ uestit ora,
Te religas, superùmque Regi
Offers, & huius tu uelut Angelus

Men-

Mente, ore, uoce, & moribus intonas
Mandata, suggestus per altos,
Per fora, perq; sacra templa.
Et quò magis te deprimis, hoc magis
Ad astra tollit celsa Diespiter.
Sic unda terras ducta ad imas
Altior emicat, effluitque.
Nam summi JESV docta sodalitas
Prima in iuuenta te caput eligit,
Vt magnus Antistes gubernes,
Ipsius & moodereris acta.
Illustre signum, quod super arduos
Gradusque magnos te Deus euehet.
Interque supremas phalanges
Cœlicolùm meritò locabit.
Exemplo hoc alto protinus excitas
Magnum nepotem, qui sacra per tua
Vestigia incedens, Olympi
Aemulus exuperare sedes
Contendit; ac dum nuper Apostolus
Eoa in ora gentibus explicat
CHRISTVM Deum, ferro amputandum
Dat caput, & super astra Martyr
Iam Laureatus peruolat, hìc tibi
Tuus RODVLPHVS præparat auream
Palmam, & thronum stellis micantem,
Quo propè se patruus recumbas.

MVTII SFORTIÆ
AD P. IO. DOMINICVM BONACORSIVM SOCIETATIS IESV, THEOLOGVM, CONCIONATOREMQVE PRAESTANTISS.

ODE. IX.



VLCE nil nostras ita mulcet aures,
Non chori humani, volucrumq́ue cantus,
Non lyræ pulsæ, neq; Naula, & ære
Cymbala rauco.
Vt tuus sermo recreat, iuuatque,
Pergula cum stans facis ipse verba,
Et tonans inter metuenda nimbos
Fulmina torques.
Nostra queìs vris, penetrasque corda.
Nam tibi lectos, variosque flores
Horto ab Etrusco, Latio, atque Graio
Læta canistris
Attulit Facundia compta plenis.
Hosce decerpens, Apis vt matina
Spiritus, mella, atque operum bonorum
Condit odores.
Versat Hebræos, relegit Latinos,
Nouit authores simul ille Graios,
Mente qui te te hos memori explicantem
Sedulus audit.
Sic velut sacros, celebresque testes

Nomi-

Nominas illos, quibus ipse fultus
Commouens mentes magis audientum
Ducis ad astra.
Tu tuis verbis velut alter Orpheus
Euocas nostras animas ab Orco;
Sic fides vincunt, ita corda, & aures
Dulciter intrant.
Adriæ Regina tuo canore
Trinacris Siren, modulisque capta
Ad tuos currit numeros, tuoque
Pendet ab ore.
Ac tibi Palmam meritò eloquendi
Donat, atque optat tibi personantes
Stentoris voces, recrees vt illis
Plena theatra.
Increpas, mulces, rapis, edocesque
Artifex fandi varius, peritus,
Nunc pijs æthram reserans, modòque
Sontibus Orcum.
Prædicas docta, nitidaque lingua;
Sed tui santi, rigidique mores
Prædicant certè magis, instruuntque
Pectora nostra
O Mamertinæ decus vrbis, ò Lux
Litteratorum. Siculis vel Hybla
Cui fauis cedit, tua docta scripta
Ocyus ede.

MVTII SFORTIÆ

IN D. IOANNEM APOST. ET EVAN. ANTE PORTAM LATINAM

ODE X.



OANNES, etenim perſpicuo lumine candida
Hæc lux eſt: olei qua patulo merſus es in labro
Feruentis; velutiq; inde pugil victor Olympiæ
Artus Palladio virgineos Unguine perlitus;
Cunctorum exiliens propterea conſpicientium
Incuſſiſti animis attonitis horribilem metum.
Atq; hæc æthereas, (àc vtinam proſpera, dignaq;
Signetur niueis perpetuò, vt ſplendida, calculis)
Matris quæ ex vtero me rutilans, fauſtaq; duxit ad
Auras, atque dedit noctifugi cernere ſoſpitem
Titanis radios, viuificumq; aera carpere.
Cum vitæ in biuio ſim iuuenis, flexus & inſequar
In læuam vitiorum, illecebris, atque libidinum
Tractus delitijs, præcipitem quæ in Barathrum patens
Me trudent; ab ea, ni retraho commonitus pedem.
Ductu qui ſuperùm magnanimi Regis es inclyto
Extractus, fer opem, vitiferam & porrige dexteram
Tu lapſo; atque viam ſyderea lampade præuia
Cœli oſtende mihi, clarificis auſpiciis tuis
Vitæ huius miſeræ ſi tetigi limina vagiens.

Cum-

Cumque vndis tumidis & rapidis hinc agar, indeq;
Mundi huius; medio ac instabili, ceu ratis, in salo;
Obtexantque Polos interius nubila criminum;
Irarumq; fremant prærapido cum impete turbines;
Torporisque Aquilo strideat hinc: hinc Notus humidus
Feruens luxuria; tu veluti Castor, & aureus
Pollux, exoriens, luminibus, tu genialeque
Sydus, pelle tuis tristitiam nubium, & æquora
Curarum auxilio, Diue, tuo, reprime, te Duce
Portus claustra queam stelliferi tutus vt ingredi,

IN DIVAM VIRGINEM.

ODE. XI.


ARIA virgo Virginum,
Et castitatis Lilium,
Laudes tuas nam psallimus,
Aures benignas admoue.
Sed antè arenas æquoris,
Stellasque enumerabimus,
Quàm digna te præconia
Pangamus alto carmine,
Electas es ante sæcula
Mater Dei sanctissima;
Et pura labe criminis
Originalis aduenis.
An nuntiante Archangelo
In ventre clauso concipis

Quem cæli adorant, nec capit
Immensa mundi machina.
Tu virgo cingis fascia,
Et blanda lactas vbere
Qui cuncta tangit, omnibus
Rerumque præstat copiam.
Tibi puerque subditur
Qui dominatur ætheri.
Tu comitaris ad Crucem,
Et corde sentis vulnera.
Tu prima surgentem vides,
Vides petentem sydera:
Sanctumque flamen excipis
Præeminens Apostolis.
De functa vitæ lumine,
Induta rursus corpore
Inuecta cætu cælico
Stellanti Olympo consides.
Hìc te celebrant Angeli,
Et Phœbus ornat lampade;
Hìc Luna plantas sustinet,
Sertumq; cingit syderum.
Hìc te beata Trinitas
Summus Pater iam filiam:
Matrem coronat Filius,
Sponsanque sanctus spiritus.
O Diua sola post Deum,
Dei voluptas vnica:

O no-

O nostra spes, & gaudium,
Regina cæli fulgida.
MARIA, tu nos liberos
A morte, duc ad æthera,
Vt te queamus cernere
Tanta micantem gloria.

IN D. MATTHIAM APOST.

ODE XII.



ISTASPIS genitum lumine sub nouo
Forte hinnitus equi constituit super
Persarum omnia regna
Regem, & barbaricas opes.
At te uiuifici numine spiritus
Sors iacta instituit inter Apostolos
O MATTHIA, locumq; in
Judæ sufficit impij.
Jllum conspicuum regia purpura
Rddebat, nitidis sceptraque fulgida
Gemmis, atque Tiaræ
Effulgens decus aureum.
At te puluereus pes decet, & cruor
Ostro floridior, nomine pro tui
CHRISTI effusus, & astris
Sertum martyrii nitens.
Vanæ ille è tumido culmine gloriæ

Lap-

Lapsus, tartareis truditur ignibus:
Et cum Rege Barathri
Pœnas perpetuas luit.
Tu post opprobria, & vulnera, flagraq;
Pro CHRISTO *oppetiens viuis in æthere,*
Qui cum verus amicus
Regnas sæcla per omnia.
Quare, ò Diue, pio pectore te precor
Vt cum iudicio strinxeris horrido
Mundum, innixus in alta
Sede, vt clarus Apostolus,
Ad dextram statui me facias ouem,
Vt tecum ingrediar sydera: tum Dei
Trini, atque unius almas
Possim cernere lampadas.

IN ASSVMPTIONE BEATÆ MARIAE VIRGINIS
ODE. XIII.


AVDEAT tellus, iubiletq; pontus
Gestiat cœlum liquidum rotatu
Syderum claro, magis his, vt auctum
Numine tanto.
Hac enim luce haud rutilis quadrigis
Vecta, sed cœtu latus Angelorum
Fulcta, iam CHRISTI *genitrix* MARIA

Aethera ſcandit.

Quod tulit talem benedicta fructum
Gaudeat tellus: Mare, non amarum
Quod dedit nomen toties uocatum.
Murmure plaudat.

Hoc die cælum iubilet, magis quàm
Sole cum pictum,' niueisq; Phœbes
Cornibus cultum fuit, aureiſque
Floruit aſtris.

Nam ſuo cæpit gremio Deam, quæ
Syderum ſerto nitido coruſca
Calcibus Lunam premit, atque Phœbi
Lampade fulget:

Mundus, humanumque genus ſerenum
Nunc diem lætis thyaſis celebrent,
Thuraq; incendant, redimantq; flore
Virginis aras.

Nanque apud natum, ſuperùmq; Regem,
Ipſa pro nobis gemitu & perenni
Poſtulans orat prece, ne ruatque
Suſtinet, orbem.

Angeli exultent, choreaſque ducant,
Laudibus clauſtrum reboet ſupernum,
Et Deo grates agat omnis uno
Spiritus ore.

Nam ſui matrem Domini decoram
Eius è nati radiis tuentur,
Vt trahens Sole ex decus, illius ſit

Aemula Phœbe.

O mihi quis det niueæ columbæ
Aureas pennas, super euolans ut
Aetheris sedes, leuis alta cœli
Claustra per errem?
Vt super cunctas acies beatas
In throno stellis nitido sedentem
Nati apud dextram uideam MARIAM
Vndique claram?
Te precor quare, ò pietatis alma
Mater, istius memor ut diei,
Corpori annexus subiit tuus quo
Spiritus astra.
Vt tui flectas geniti furorem,
Gratiæ infundat fluuios supernæ,
Temperetque, ores, rabidas procellas
Temporis huius.
Hinc ut ad cœli choreas migrantes,
Et tuum summum decus intuentes,
Teque, & æternum genitum perenni
Laude canamus.
Gloria, & laus verbo, peperit quod alma
Virgo; par semper decus atque Patri,
Flamini & Sancto minor haud honor sit
Omne per æuum.

IVBILEVM PII QVINTI.

ODE XIIII.



VM Thrax Eoos armat, & instruit
Classes tremendas, & freta transiens
Queis Nereis nunc regnat Helle,
Diripit, aggrediturq; Cyprum.
Illumq; contrà dum Venetus pares
Longas triremes expedit, atque ei
Centum rates mittunt sacerdos
Sydera cui populiq; parent.
Nec non Philippus, cuius Iberiæ
Nutum tremiscunt, oraque Trinacris,
Atque Italus, nuperq; gentes
Littore in occiduo repertæ.
Donecque in altis fluctibus, hinc procul
Errant cruento Marte ferociter
Vt dimicent cum barbaro, de
Imperij, fideique summa.
En te Polorum rector, & arbiter
Mundi, precantur pectore supplici
Et virgines sacræ, senesq;,
Et iuuenes, trepidæq; matres.
Tuasq; ad aras lumine cernui
Perdas vt hostes, Thracaque flagitant.
Victoriam tandemq; nostris
Iam melior, pater alme, dones.

Horum preces tu, votaq; suscipe
Clemens; tibi huius nam trucis heu Scythæ
Enses per vltores, manusq;
Crimina sat luimus nefanda.
Si dexter adsis, faueris & tuis
Turca fugato, nauibus obrutis
Rerum potiti, tunc petemus
Assyriam, Solymasque terras:
Quas tu sacrasti virgine ab integra
Nascens in illis: & Crucis arborem
Scandens, cruentasti beato
Sanguine, qui reserauit æthram.
Tuum sepulcrum tunc venerabimur
Pulsis prophanis, & loca obibimus
Queìs tu refulsti mira patrans,
Queìsq; tui micuère vates.
Nec non reuincti tempora Delia
Lauro, chorèas, candidaque agmina
Ducemus, & Pæana læti,
Atque canemus iò triumphe.
Qui plausus, & quæ gaudia per tuos
Tunc personabunt, quas tibi gratias
Reddent tot vrbes, atque regna?
Quas vè strepent resoluta laudes?
Cum non videbunt amplius aggredi
Heu nostra classes littora barbaras,
Sed pace tranquilla fruentes
Pectore composito quiescent?

AD

AD D. RAPHAELEM ARCHANGELVM PRO SALVTE VESPASIANI SFORTIAE FRATRIS AEGROTANTIS

ODE. XV.


I tuas venti referant ad aures
Lacrymis mixtos gemitus, precesque
Quas tibi ardentes calido, atq; ab imo
Pectore fundo.
Tecta seu cœli nitidi tenens cum
Cæteris septem socijs supernis
Antè stellatum solium Tonantis.
Fulgidus astas.
Iussa seu magni domini capeßens,
Prouidus princeps, simul acer vltor
Magna Persarum, potiusuè Romæ
Regna tueris.
Alme RAPHAEL medicina summi
Qui Dei verè, & meritò vocaris.
Castoris nunque vt, pugilisq; fratris
Sydera postquam
Nauitis ponto in tumido refulgent,
Concidunt venti, fugiuntq; nubes,
Panditur cælum, placidis & undis
Sternitur æquor.
Sic tuo aduentu procul & dolores,

Tristis & morbus, calidæq; febres,
Et procul pestes fugiunt, laborq; ex
Artubus ægris.
Nanque te dulcis requies, soporque,
Et salus circum volat, & medela,
Suaue lenimen, simul & malorum
Dulce leuamen.
Felle si piscis miseri Tobiæ
Idque tu mandans, oculis dedisti
Iam diu cæcis iubar, atq; Solis
Cernere lumen.
Si que piscinæ latices salubres
A tuis factæ manibus valentem
Atque reddebant solidum, prior qui
Tangeret vndas.
Aspice ut perdat rutilum decorem
Oris, ut visis agitatus aspris
Degat insomnes vigil vsque noctes.
Frater amatus.
Aspice vt molles, teneros & artus
Eius, exurat truculenta febris,
Vt sitim, venas populans, hiulco
Excitet ore.
Aspice vt lecto gemat, æstuetque,
Vt natent eius tenebræ antè ocellos:
Terreatque atræ subita imminentis
Mortis imago.
Aspice, & pennas quatiens per auras

Hùc ades, iamque Ambrosiæ liquore
Frigerans febrem, precor, eius, alme,
Membra perunge.
Tum ferus morbus cadet, atque feruor,
Pallor osque eius roseum relinquet,
Occident visa, & tenebræ subibunt
Claustra Barathri.
Diue, tum voti reus ipse ponam
Marmore è puro tibi lætus aram,
Inque ea flammis adolebo Myrrham,
Thuraque supplex.

IN D. MATTHEVM APOS. ET EVANG.

ODE. XV.



VCIFER puro radians Olympo
Effugat stellas, roseamque amictu
Ducit Auroram, iaciamus & nos
Pectore somnos.
Atque MATTHEO modulemur hymnos.
Scribis Hebræa prior ipse lingua
Vt tuis prosis, memorans superni
Facta Magistri.
Sole at ambustus nimium propinquo
Aethiops exin superam salutem
Audiit per te, didicitq; CHRISTI
Inclyta facta.

Credidit ſed tunc magis obſtupeſcens,
Credidit tum Rex pater, atque mater,
Venit ad vitam reuocante cum te
Mortua nata.
Sola quæ regnis gemino parente
Orba ſucceſſit · cupit hanc iugali
Hyrtacus tæda ſibi iungere, alta vt
Sceptra teneret.
Regia at proles thalamos repellit
(Se Deo ſacram quia dedicarat,)
Nuptias temnit generoſa virgo
Iphigenìa ·
Ille te propter putat hanc ſacraſſe
Se Deo; quare tumefactus ira
Donec ad ſacras operaris aras
Alme ſacerdos,
Mittit armatos, ſubitò trucident
Qui te, & occiſus cadis, atque puram
Victimam temet Domino placentem
Protinus offers.
Oſſibus ſed nunc fruitur Salernum,
Exhibens illis meritos honores.
Diue nunc ſanctis precibus fatiga
Poſcimus, illum,
Stemma tu cuius repetens recenſes,
Vt Deus nobis homo factus, æquè
Nos Poli ciues faciat, ſuoq;
Munere Diuos.

Laus,

Laus, honos patri, genitæque proli
Quæ suis in discipulis refulget,
Flamini & sancto similis sit omni
Tempore virtus.

AD MATVTINVM.

ODE. XVII.



AM Luna bigis aureis
Inuecta, lustrat lumine
Terras, & atræ decidit
Caligo noctis horrida.
Surgensq; pellit sydera
Aurora mixtis Liliis.
Solusque Eoo flammeus
Ex orbe fulget Lucifer.
Cantuque Solem prouocans
Cristatus ales concutit
Alas, & ipse iam vigil
Somno è graui nos excitat.
Quare toris tepentibus
Ad te relictis surgimus,
Tibi vt preces cum laudibus
Fundamus, alme conditor.
Tu fons perennis Filii,
Tu Nate patris vnice,
Tuque vtriusque altissime
Amor, sacerque spiritus.

Con-

Concede quod nunc poſcimus,
Si quid ſopore, aut in toris
Pigri tibi deliquimus,
Vt hoc benignus abluas.
Serueſque nos innoxios
Hac luce, donec Tethyos
Mergat quadrigas gurgite
Pater diurni luminis.
Vt cum polos & æquora
Noctis tenebræ obtexerint,
Tibi perennes gratias
E ſorde agamus candidi.
Præſta pater ſanctiſſime,
Proleſque patris unica
Cum ſacro & almo ſpiritu
Regnans per omne ſæculum.
Amen.

SVPPLICATIONES PRO VICTORIA NAVALI ADVERSVS TVRCAS PARTA.

ODE. XVII.


AVREIS cincti, viridique Myrto
Gratias magnas agimus tibi, Rex
Noſter, & ſummi Patris alma proles
Maxime CHRISTE.
Nam velut duro Pharij Tyranni


Eiugo

E iugo ducens miseros Hebræos,
Illius turmas, bijugosq; currus
Ponè sequentes
Aequoris rubri tumida sub vnda
Ipse demergens simul obruisti:
Hinc tuas salui cecinere Hebræi
Carmine laudes.
E minis sic nos, rabieque Turcæ,
Ferrea & multos rapiens catena,
Tot feras clades miserans tuorum
Denique ab alto.
Ense sub nostro Scythicas dedisti
Copias cædi, & iuga nostra ferre,
Iamque victrices retrahi reuinctas
Fune carinas.
Thura ob hoc sacris adolemus aris,
Teque collaudant pueri, & puellæ,
Et Sacerdotes alacri penetrant
Aethera voce.
Personant vrbes, reboantque templa
Plausibus, cantu, teneris & hymnis.
Grata pro saluis referunt maritis
Munera Nymphæ.
Tu PIVS nobis pius, & PHILIPPVM
Principes serua, tua qui facessant
Iussa, ceu Moses, generosus & Dux
Nauius heros.
Atque eis dona, Venetæque pubi

Thracias classe vt penetrent ad oras;
Eruantque illinc Mahometis aras,
Fœdaque templa.
Barbaros Turcas agitent cruentis
Prælijs victos, rigidisq; rursus
Caspiis portis, validisq; nodis
Denique claudant.
Ditibus Regnis Asiæ potiti
Africam terram duce te domabunt,
Et tuum cultum populos docebunt,
Templaque ponent.
Tunc Patrem, Natum, àc vtriusque flamen.
Africa, Europa, atque Asia inuocabunt,
Pastor atque vnus, velut inquis, vnum
Fiet ouile.

IVBILEVM GREGORII. XIII. PONTIFICIS MAXIMI.

ODE. XVIII.



RATIAS læti resonamus omnes,
Maximas grates agimus, habemus
Rex tibi cœli genitoris almi
Aequa propago.
Quod vigil tandem fera contudisti
Galliæ infectæ, miseræq; monstra;
Belga quod fractus toties quiescit,
Armaque ponit.

Sum-

Sumpserant in te veluti Gigantes
Arma, sed quondam veluti Gigantes
Ipse adegisti iaculans rubenti in
Tartara dextra.
Vltio sic hos tua nunc peremit
Sera. Diuorum dederant cremanda
Ossa, calcarunt sacramenta, torque
Ergo sub Orco.
Teque ad hæc multis lachrymis precamur,
Classibus nostris faueas, ut olim
Turca cum sensit iuga nostra, & enses,
Atque catenas.
Rursus en uires velut Hydra sumpsit,
Eius atque audet reparata classis
Classibus nostris modò fracta, iam concurrere rursus.
Rege defuncto uiduis Polonis
Sarmatis dona pietate Regem
Inclytum multa, fera qui repellat
Eminus arma:
Quique Turcarum rabiem retundat;
Hæresesq; altas ibi per vagantes
Pellat, & summa sua regna frænet
Deniq; pace.
Fœdus hoc sacrum magis vsque firma,
In diesq; auge: coëat precamur
Gallus, & vibret Lusitanus arma in
Agmina Thracum.

Princepes sanctos tibi militantes,
Et tuas hic GREGORIVM gerentem
Nunc uices serua, tibi donec omnis
Seruiat orbis.

AD ILLVSTREM ET REVERMVM, ANTONIVM PORTIVM EPISCOPVM MONOPOLITANVM.

ODE. XIX.



OLLE dum nostrum iuuenile pectus
Aureis fixit iaculis Cupido,
Hauriens pulchris Dominæ ex ocellis
Sæpius ignes,
Versibus dulces cecini calores,
Thusca dictabat mihi quos Thalia,
Promptius uel quos Erato Latina
Læta docebat.
Sanctior sed cùm mea corda diua
Nunc Amor flamma penitus perurat,
Spiritusque alter nihi magna ab altis
Suggerat astris;
Carmen, Antoni, fugat opprimitque
Huius ingentis Venetæ tumultus
Vrbis. hæ turbæ, simul æra pellunt
Pulsa Camænas.
O mihi quis dat nemorum sub umbris,

Seu ſacros propter, gelidoſque fontes,
Quà vago lymphæ pede murmurantes
Saxa pererrant,
Degere has paucas, reliquaſque luces,
Quà canunt Muſæ, cytharámque Phœbus
Pulſat auratam, placidumque ſomnum
Ocia præbent?
Tunc ego excelſis minimè Poetis,
Appulo haud noſtro, celebrique Flacco
Cederem, cuius fuit in Sabinis
Pindus, & Aon.
Tu ſacras Muſas ſacer, atque felix
Prouoca, Antoni, virides tot Horti
Cui patent, ac tot nemorum receſſus,
Totque ſcatebræ.
Cui Polus plaudit, fauet atque tellus,
Cuiq; vt haud optes triplicem Tiaram, aut
Purpuram, fundit bona cuncta pleno
Copia cornu.
Ipſe muſcoſis recubans in antris,
Quo graues vndæ referunt Echinos
Ocio Reges premis inuidendo,
Pontificeſque.

AD

AD B. GABRIELEM ARCHANGELVM ODE. XX.


RINCEPS supernæ Curiæ,
Paranymphe felicissime;
Fide & minist r, & Dei
O fortitudo GABRIEL,
Orationes Tobiæ
Vt Raphael Deo obtulit;
Sic, Diue, nostra carmina
Hæc virgini tu perlege.
Oraq; quali condidi
Hæc mente, tali & inclytæ
Capiat parens munuscula
Silente nocte condita.
Quæ propter ipsa à Filio
Virtutis omnis gratiam,
Quæ nostra firmet pectora
Benigna mater, impetret.
Donis micans ut talibus
Hic membra linquens spiritus
Mereatur ab ste suscipi,
Ferrique ad æthra Regiam.
Vbi inter almos ordines
Per vos coruscans cælitum
Matri, simulque Filio
Hymnos perennes concinat.

IN ASSVMPTIONE BEATISS. DEIPARAE MARIAE VIRGINIS.

ODE. XXI.



VM canimus qualis superùm conscenderis arcem
Aßumpta, Diua, in æthera;
Hùc ades, & nostris, hominum, Regina, Deùmq;,
Cæptis benigna allabere.
Jam Patris æterni soboles ascenderat astra
Victrix triumpho nobili:
Iamq; suum flamen sanctum, flammisq; coruscum
Suis alumnis miserat.
Lumina cùm voluens, prospexit ab æthere matrem
Amore nati sauciam.
Atque moras terris miseramq;, ægramq; trahentem
Oculos Olympo affigere.
Qualis per saltus Vitulum vaga bucula quærit,
Admorat vber cui modò,
Gramina non illam, gelidi non flumina fontis
Juuant, nec arua florida.
Cumque Polo regnare foret dignissima Diua,
Terras nec has inuisere;
Audijt omnipotens charæ pia uota parentis,
Ad seq; Natus euocat·
Cœlicolùmq; choros ex æthere mittit, at alis

Jlli ſecantes aera;
Vt ſteterunt coràm Domina, quæ fortè iacebat
Aegra in cubili, & languida,
Impellunt cytharas, blandiſque ſonoribus auras
Jmplent, modiſque dulcibus.
Carminibusq; illam inuitant alterna canentes
Claras ad arces ætheris.
Exuit illa lubens fragilis tum corporis artus
Natum videre geſtiens.
At mediam aligeræ turmæ plaudentibus alis
Cantu euehunt ad ſydera.
Et nato coràm miranda luce coruſcam
Siſtunt, aguntque gratias.
Ille vbi puram animam vidit iam fulgere matrem,
Iuſto dolore ſaucius
Hæc ſecum: Velut Heroes, quibus ætheris arces
Jpſe incolendas annui:
Exuta hæc etiam moribunda, caducaq; membra,
Nudus micabit Spiritus?
Nec nihil intererit famulos, interque parentem?
Nil plus habebit cæteris?
Scilicet expectabo orbis cùm fine tremendo
Tuba excitabit corpora
Mugitu horriſono, noſtris inflata miniſtris,
Omneſque coget vndique:
Corporis vt dudum corrupti hæc membra reſumat?
Feramque vt eſca vermibus
Intereà ſint illa aluus, & viſcera caſta,

Quæ

Quæ me perarcto circulo
Clausère, astriferi quem non capit aurea cæli
Regia, nec orbis, nec mare?
Vbera quæ toties suxi, gremiumq; quod infans
Reptaui, vt horrens sint cinis,
Et puluis, patiar? Paradisi ad amæna vireta
Ascendit almus Helias
Flammiuomis inuectus equis, bigaq; rubenti;
Atque illa per pomaria
Enocho gaudens socio felix agit æuum,
Non letho adhuc obnoxius?
Atq; artus, in quos Naturæ nulla potestas,
Nec prisca labes polluit:
Mors, vmbræq; prement, & edent sub mole sepulchri
Putredo, vermes, & situs?
Sic ait: & versus stellata in veste coruscum
Cælestis aulæ principem
Euocat ad sese Gabrielem, & talia fatur;
Tu, qui beatæ Virgini.
Huic, patris æterni celeres mandata per auras
Felix tulisti nuntius,
Illius impleui cum viscera ab æthere summo
In fine missus temporum.
Quiq; meo nutu fidusq;, vigilq; minister
Illi astitisti in omnibus:
Iam nosti quà marmoreum, sanctumq; sepulcrum
Eheu refulgens contegat
Illius os, cedit cui Sol; & candida membra,

Quæ dulcè ſpirant balſama.
Hùc age purpureas per cælum concute pennas,
Rectusq; curſum dirige.
Illius hancq; animam (digitoq; oſtendit)ab alto
Ducens per auras liquidas,
Induta vt ſpolium Regina perambulet aſtra,
Infunde ſacris artubus.
Vix ea dicta dedit: Zephyris per inane vocatis
Cum Gabriel ab æthere
Alternans humeros, animam vento ocyor illam,
Et lætus ad terras agit.
Fecerat & Domini iux iuſſa, rubeſcere lumen
Cum cæpit illic aureum.
Panditur ecce micans domus omnipotentis Olympi.
Ecce ille Rector omnium,
Spes, & noſtra ſalus, ſummi ſapientia Patris,
Qui cuncta verbo condidit,
Stellatum linquens ſolium, ſedesq; paternas
Magna refulgens gloria
Cœlicolùm innumera circumſtipante caterua,
Delapſus vt Sol aduolat;
Illum quà genitrix, quaq; Angelus expectabant
Magno obſtupentes gaudio.
Marmoreum at poſtquam buſtum ſuper aſtitit altus
Quà glorioſo corpore
Alma parens induta, micabat vt aurea quondam
Phœnix odora deuolat
Iam renouata pyra, & iam mille coloribus ardet,

Victu-

Victura centum Sæcula.
Sic illam affatur: Genitrix sanctissima, salue:
Eamus hinc: nam sydera
Te, stellansq; thronus manet, altaq; gloria cæli.
Eia columba candida,
Charaq; amica, veni, propera, mea sera voluptas,
Hyems dolorum transiit:
Verq; quietis adest. regnis succede supernis
Regina, quæ dat Filius.
Cælicolis hìc iura dabis, terræq; labanti
Diua inuocata consules.
Hæc ait, & matrem amplexans simul oscula libat,
Dextraq; iungens dexteram
Illam ducit ouans super aurea mænia Mundi;
Chorosq; supra cælitum,
Sydereosq; globos locat, ad dextramq; coruscam
Suam assidere præcipit.
Bersabèam, si parua licet componere magnis,
Sic clara proles Dauidis
Rex sapiens olim Salomon, & pacis amator
Matrem (figura forsitan
Huius Pacifici Regis,) residere iudebat
Suam locans ad dexteram.
Ecquis, Diua parens, æquo modo carmine cantet
Quanto astra plausu ascenderis?
Cælicolùm quali fueris super æthera cantu
Deducta, quantisq; Orgijs?
Vtq; tibi se se totum patefecit Olympus?

Cælestis vtq; curia
Obuia te excipiens valuis bipatentibus omnis
Per ordines se effuderit?
Fatidici vt vates: vtq; occurère parentes
Plectris sonantes aureis?
Vt Pater omnipotens te sit complexus, vt almam
Charamq; natam propriam?
Vtq; tibi sponsæ dederit sua munera sanctus
Exosculatus Spiritus?
Vtq; tibi æternas laudes alterna canentes,
Hymnosq; dulces personent
Cælicolùm chorus hinc, Heroumq; inde, beatos
Quos terra misit ætheri?
Salue, Sancta parens, Regnatrix, nostra MARIA,
Omnisq; plena gratiæ.
Tecum habitat Dominus, summæ, æternæq; uoluptas
O Trinitatis unica.
Virgineos benedicta super tu splendida cætus,
O Fœminarum gloria.
Ecce tui uentris fructus benedictus IESVS
Qui te coronat sydere,
Per te descendens astris, apparuit orbi,
Suo & redemit sanguine.
Per te lapsus homo superis est factus amicus:
Cæliq; aperta est ianua.
Per te mortales complent, noua numina, stellis,
Gemmisq; sedes fulgidas.
E quibus antè odijs superùm legio acta nefandis

Regi

Regi rebellis corruit.
Tu nobis addis socios, & Nectare dignos,
Chorisque nostris efficis.
Gloria terrarum, magnum cæli incrementum,
Nostrum perenne gaudium.
Delitiæ summi Regis, decus addita Diuis,
Spes, & salus mortalium.
Cuius se pedibus substernit Luna bicornis,
Quam texta cingunt sydera.
Quamq; suis Phœbus radijs fulgentibus ambit,
Totamq; vestit lumine.
Te canimus, thyasosq; tibi instauramus, & hymnos
His personamus dulciter
Auratis cytharis, nostros ne despice cantus
Regina, tibi quos psallimus.
Terrigenis atq; alma tuis, Dea, prospice, qui te,
Tuumq; nomen inuocant.
Illis affer opem, proq; illis iugiter ora,
Nato papillas detegens.
His peccatorum veniam, iustasq; petitas
His impetra tu gratias.
Humanamq; Deus quoties iam plectere gent
Nefanda ob eius crimina,
Siue fame, aut morbis, bellisuè minatur . n quis,
Tu lachrymis potentibus
Hunc placa, genitrix, atq; excute tela rubenti
Dextra Tonantis Filij.

FINIS.

ERRATA IN IMPRESSIONE CADENTIA.

Turrita male. car.	6	Mole.
Eumenides faces.	ibi.	Eumenidesque
omnes eo.	ibi.	omnis.
inclinas cornibus.	7	inclinans.
cedet & aris	8	aurum
Qua geret	9	quæ.
Quo rius.	ibid.	ruis.
oran.	ibid.	orans.
æterniumque micanti.	12	æternùmque.
Illyritæ nitor.	14	Illiriæ.
lucubrata sibi.	15	tibi.
Serenat auras.	18	aura.
tu commouens	21	commoues.
Sistit impetuum.	24	impetum.
pingit ex hoc	ibi.	& hoc.
Flebile cum recitas.	27	recitat.
Syricis versibus	30	lyricis.
Extudit oo.	34	ouo
iuribus integer	37	viribus
at fatus	38	affatus
in crue	40	in Cruce
pessident.	47	possident.
peremmis.	50	perennis
Nunc ne	53	Hunc
& Roris	60	Rosis.
vel Lesbia	61	Lesbio plectro
princepes	76	principes
nihi	ibi.	mihi

005643602

